




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Ex Bibliotheca Equitis
Antonj Francisci Marmi

1 C. 6
1. 6. 127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127


CASPERII GEVARTII

ELECTORVM LIBRI III.

IN QVIBVS PLVRIMA veterum scriptorum loca obscura & controuersa explicantur, illustrantur & emendantur.

Ad Perillustrem, Amplissimúmque Virum, ERRICVM MEMMIVM, Iruallium, Equitem, Regium in sacro Consistorio Consiliarium, PROPRÆTOREM PARISIENSEM, ac supremum Ædilium, Decurionum, ac Mercatorum PRÆFECTVM.

Ex legato D. Equitis Antonii Francisci De Marmi





LVTETIÆ PARISIORVM.
EX OFFICINA NIVELLIANA.
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, sub Ciconiis.

M. DC. XIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

1. 6. 127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127



PERILLVSTRI VIRO

ERRICO MEMMIO

IRVALLIO, EQVITI,

Regio sanctioris Consistorij Consiliario,

PROPRÆTORI PARISIENSI,

Ac supremo Ædilium, Decurionum ac Mercatorum

PRÆFECTO

LVB. MER. DEDICO, CONSECROQVE.

NON longè mihi quærendæ aut reddendæ causæ sunt, Vir Amplissime, cur hosce Electorum libros sub præclari nominis tui auspiciis in lucē prodire voluerim. Mouerunt mé eximia tua in me beneficia: mouit illustris familiæ vestræ in elegantiores hasce litteras fauor ac studium adeo singulare, vt nomen vestrum bonis artibus ac disciplinis prouehendis velut fatale esse mihi videatur. Nam & Romę olim nobilissima MEMMIORVM Familia Musarum cultoribus vsque adeò addicta semper exstitit, vt præstantissimus æui sui Poëta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Lucretius ſuum de rerum Naturâ opus C. MEMMIO, Bithyniæ Prætori inſcripſerit. Et Martialis alibi

Piſones, Senecaſque, MEMMIOSQVE

inter ſummos eius temporis litterarum Patronos recenſet: E quorum illuſtri ſtirpe gentem veſtram profluxiſſe, laudis eiuſdem quæ in familiâ veſtrâ ſemper clariſſimè enituit, probat æmulatio. Et quamuis Mars, non ſecus ac mollibus Muſarum ſtudiis inuidus, gentem veſtram ſibi totam vindicare conatus ſit, dum multis ſæculis in Scotiâ, mox traiecto Oceano, in Aquitaniâ, Rupeforti, prope Pyrenæum ſaltum, sub fortiſſimo Heroe AMANEO MEMMIO bellicis ſtudiis claret; nihilominus tamen, renaſcentibus in Galliâ ſub Franciſco Primo, magno illo ingeniorum æſtimatore litteris, denuò ſeſe amœnis Muſarum caſtris reddidit. Tum enim I. IACOB. MEMMIVS, proauus tuus, vir Prætorius ac ſacri Conſiſtorij conſors

--- *Geticum moderatus Apolline Martem,*

ſagum togâ mutare conſtituit, & inter præſtantiſſimos ætatis ſuæ Iuriſconſultos ſummâ exiſtimatione floruit. Móxque poſt grauiſſimas legationes nomine Catharinæ Foxiæ, Nauarræorum Reginæ, obitas, nobiliſſimam Libellorum ſupplicum Præfecturam exercuit. Cuius exemplo commotus eius filius ERRICVS MEMMIVS, auus tuus, vir ad illuſtrandum ſæculum ſuum natus, ac præter alias ampliſſimas functiones, CANCEL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

LARII NAVARRÆ dignitate insignis, iis officiis, ea humanitate viros doctos ipse doctissimus prosecutus est, vt publicus omnium eruditorum Mæcenas ac Musagetes Gallis exortus esse videretur. Domus illius, non secus ac commune quoddam Musarum domicilium à Turnebis, Lambinis, Auratis, Stephanis, cæterisque eius temporis litteratorum coryphæis frequentabatur, quorum alios quidem præstanti, quâ valebat apud Regem gratiâ iuuit, alios ipse domi suæ aluit ac fouit. Ioannem namque Passeratium, amœnissimi ingenij virum, ac Poëtam sæculi sui eminentissimum, triginta & amplius annos in contubernio suo habuit, Regiique Professoris munus, post Rami mortem, sua potissimùm commẽdatione in illum conferendum curauit. Taceo Angelum Vergetiũ, hominem Græcũ, natione Cretensem, cui typorũ Regiorum inuẽtionem debet posteritas, aliósque qui plurimis ab eo affecti beneficiis non paucos domi illius exegêre annos. Et sanè, licet obitis quamplurimis Legationibus potentissimorum toto orbe Principum ac Regum beneuolentiam sibi conciliarit, nullam tamen pleniorem gratiam, nullum vberius meritum tulit, quàm idipsum quo litteræ eum sunt remuneratæ: memores enim illius in se beneficentiæ, ne ingratæ haberentur, eum mortalitate ereptum æternitati consecrarũt. Vix vllus eruditorum eâ tempestate librum in lucem emittebat, quin MEMMII operâ, ac manu exaratis codicibus, è diuite eius Bibliothecâ de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

promptis ſeſe adiutum fateretur. Vnde factum vt neſcias vtrum maius pręſidium litteris attulerit ille, an ab eis maius ipſe nomen ſit conſecutus. Sed de his aliiſque eius virtutibus alibi nobis futurus eſt commodior dicendi locus: neque enim anguſtis epiſtolæ limitibus pręclariſſimę eius laudes includi poſſunt. Quid verò hîc etiam illuſtriſſimum ac verè magnificum virum, I. IAC. MEMMIVM, eius filium, parentem tuum commemorem, cuius Virtus in excelſo & illuſtri loco poſita nulli hominum ignota eſſe poteſt? Ille ſacro Regis Conſiſtorio

Ceu Iouis arcanis Minos admiſſus,

plurimiſque de grauiſſimis rebus legationibus ſumma cum laude functus, indefeſſam quotidie maximis regni negotiis gerendis operam nauat. De eius autem prolixo in litteras ac litteratos ſtudio ne ego hîc agam, facit incomparabilis viri, Ioſ. Scaligeri teſtimonium, qui in Opuſculis Poſthumis illius in ſe beneuolentiam ac merita latè deprædicat. Et marmoreus ille tumulus Ioan. Paſſeratio in Diui Dominici fano ab illo erectus, æternum ipſi futurus eſt in hæc ſtudia beneficentiæ monumentum.

His tot domeſticis exemplis excitatum te, Vir Ampliſſime, quid mirum eſt litterarum iam penè ſeneſcentium gloriam reuocare? Nimirum ea Virtus quæ velut hæreditate à maioribus accepta, & læta propagine per traduces transfuſa viget, firmior atque excellentior eſſe ſolet, quàm illa quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

repentino impetu emergit. Et iampridem clarissimus senex Passeratius hoc de te in amœnissimo Genethliaco tuo præsagierat:

Nomine, vultu, animo expressam splendoris auiti
Effigiem, & iunctas referes virtutibus artes.

Quos sanè versus quoties ego mecum reputo, toties illud Papinij mei in mentem mihi venire solet:

---Vatum non irrita currunt
Auguria.

Nam cùm omnes auitas paternásque animi dotes nobis repræsentes, nullam tamen te magis exprimere ac referre animaduerti, quàm vt de litteris bene meruisse iudiceris. Cæterùm, quia Heroicis & ad maxima quæque natis mentibus propria ea laus semper fuit, non tantùm sapientiæ cognitione, sed & rerum gerendarum studiis efflorescere, quamprimum per ætatem licuit, maiorum tuorum exemplo grauissima Reipub. munera aggressus es. Et modò te præter sanctioris consilij dignitatem operosa illa Vrbis Prætura exercet. Quæ tametsi penè festinatis honoribus in te collata sit, ita tamen communi omnium ordinum consensu illi sufficis, vt serò etiam illa tibi commissa fuisse videatur. Sanè, quodnam ciuium de summis virtutibus tuis iudicium existat, nuper omnino expertus es, cùm te vnum conspirantibus suffragiis elegerunt quem suprema Ædilium, Decurionum ac Mercatorum Præfectura insignirent, seque fortunasque suas omnes crederent. Mirabitur olim Posteritas te hoc ætatis, duarum, earúmque gra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

uiſſimarum dignitatum inſignia pari prudentiæ, integritatis, ac facundiæ laude exornaſſe. Sed id minimè mirum in familia veſtra, cui proprium ſemper fuit Virtutis maturitate ætatis curſum præuertere. Ita modò nobiliſſimus frater tuus vel adhuc ætate florens Regij Conſiliarij munus ſenili prudentia adminiſtrat.

Soli vos exemplo veſtro docere poteſtis ab eximiâ Virtute progreſſum ætatis minimè eſſe exſpectandum:

Cœpiſtis quò finis erat: primordia veſtra
Vix pauci meruère ſenes.

Et quod aliis longus rerum vſus & experientia dare ſolet, id vltrò vobis naſcentibus Natura videtur indulſiſſe. Non ſine ſtupore quodam notant ac mirantur omnes, qua aſſiduitate & vigilantia Reipub. te impendas, adeo vt tot diuerſiſſimis negotijs quibus alij ſuccumberēt, non opprimi, ſed ſubleuari videaris. Ea quippe eſt acerrimi iudicij tui vis, ea perſpicaciſſimi ingenij capax ſublimitas, vt res quaſlibet oblatas, quantumuis perplexas & arduas ex tempore apprehendas, diſcernas, diiudices. Accedit his diuina illa Humanitas tua cum inuſitata quadam dicendi facultate ac lepore coniuncta, quibus omnes ad te accedentes ita capis, vt inſtar Phœbi cuiuſdam, ſolo prope intuitu quemlibet lubentiorem reddas, neminémque triſtiorem à te dimittas. Vnde fit vt omnes cordatiores te velut incomparabile quoddam togati ordinis decus ac exemplar ſuſpiciant & admirentur. Sed vereor

reor ne hæc æquis virtutum tuarum æstimatoribus non satis pro dignitate de te dicta, tibi nimia videantur: quippe laudes tuæ tibi citiùs tædium afferant, quàm nobis satietatem. Quocirca de iis vt in clarissima luce positis plura dicere supersedeo, quòd iis imparem me agnoscam, tam propter earum magnitudinem, quàm propter ingenij mei tenuitatem. Nunc autem hosce ELECTORVM libros, qualecunque meæ erga te obseruantiæ ac gratitudinis pignus adfero, in quibus obscuriora quædam veterum Auctorum loca illustrare conatus sum: rogóque vt si nonnunquam tibi à publicis occupationibus tantum otij, quantum ad litterarias hasce contróuersias decidédas iudicij, pauculas horas iis percurrendis impendas, eásque à maleuolorum, Zoïlorúmque, quorum nimium ferax hoc sæculum, calumniis vindices. Quod vt facturum te confidam, vel solo nomine tuo inducor. Norunt omnes LEGEM MEMMIAM *Aduersus Calumniatores*, in Iure nostro celebrem, à priscis illis MEMMIIS in Repub. Romanâ olim & dignitate & litterarum gloriâ florentissimis sic appellatam: cum quibus meritò quidem vos comparo, vtpote quorum laudes hoc sæculum excedunt. Vale Decus meum. LVTETIÆ PARISIORVM, Kal. Mart. CIↃ IↃC XIX.

Illustri Amplitud. Tuæ
Deuinctissimus
I. CASPERIVS GEVARTIVS.

é

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

IN

LIBROS ELECTORVM

Eruditiſſimi

I. CASPERII GEVARTII

Belgæ, Antuerpiani.

NOMINA *Varronum ſi iam reddantur ab vmbris*
Parcarum nulla reſtituenda colo,
Obſtupeant erepta ſui quo gloria migret
Imperij, dubium Marte, vel arte prior:
Romula quæ doctas facundia vicit Athenas
Arctôi populos nunc penes orbis agit:
Ecce nouos iuuenis BELGIS *inſtaurat honores*
Ingenij clara iudiciique face.
Prodierit ſimul iſtud opus, dicetur habere
Non TIBERIS *Latias, ſed modò* SCALDIS *opes.*

NIC. BORBONIVS
Profeſſ. Reg.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

IN EOSDEM.

CASPERIO *breuibus ſcribenti* ELECTA *libellis*
Ad laudem velox gloria pandit iter.
Mox etiam ſontes amor eſt deducere Thebas,
Et ſimul ignoti Scyria furta thori.
Illi magna parant florentes præmia, SYLVÆ,
Nuper ab indocta carmina læſa manu,
Quæ ſuperimpoſiti tetigit cum ſacra Coloßi,
Auſonij moles Cæſaris alta ruit.
Rurſus & ingrato viſus languere veterno
Gallicus, atque mori cum Meliore puer.
Mox iuuenis crines, neglectáque fleuit Ianthis,
Mox auis, & dulces Arbor opaca comas.
Scilicet in Syluis, totòque in corpore vatis,
Prô pudor! indignas fixit vbique cruces.
Eripuit tantis Syluas GEVARTIVS *vmbris,*
STATIVS *huic debet non potuiſſe mori.*

GIL. GAVLMINVS
Quæſtor Molinenſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Εἰς λαμπροτάτου ἀνδρὸς

ΚΑΣΠΕΡΙΟΥ ΤΟΥ ΓΕΥΑΡΤΙΟΥ

ΑΝΤΟΥΕΡΠΙΑΝΟΥ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ.

ΤΙΣ, πόθεν οὗτος ἀνήρ; τίς ὑπουρανίων προεῖηλε;
Ενδυκέως εἰπεῖν ἄρχεο μοῦσα φίλη.
Κύδιστος Βέλγης Γευάρτιος αὐτὸς ἔγεντο,
Ακμὴν ὥστε νέος, τὼς δὲ νόον πολιός.
Οτρηρὸς θεράπων Φοίβου, Μουσῶν δ' ὑποφήτης,
Βιβλία πολλὰ διδοὺς ἐς φάος ἠελίου,
Πολλῶν δρεψάμενος δ' ἐκ συγγραφέων ἀρίσημος
Τὰ γράφει ἐν γλαφυραῖς μνημοσυνῆς σελίσιν,
Αὐτὸς καὶ μάλα ῥεῖα κατὰ στάθμην προνοήσας,
Τὰ κλυτὰ πρεσβύτης καὶ νέος αἰὲν ἔχοι,
Μουσῶν ἐν πάντεσσι διάκριτος ἡρώεσσι,
Εσσομένοις ζῆλον, καὶ μέγα θαῦμα λιπών.

ΚΛ. ΒΕΛΟΥΡΓΕΡΙΟΣ.

CASP.



CASPERII GEVARTII

ELECTORVM
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Valerij Maximi de Dario locus, in quo frustrà à Lipsio, aliisque sudatum, nouè correctus & explicatus. Septem Persarum Optimates. Adiutores eiusdem dignitatis *quid Valerio?*

INGENIOSVS sanè dolus ac calliditas ea fuit qua Ecbaris Persa, herum suum Darium, post interfectos Magos, ad Persarum regnum prouexit. Historiã illam Valerius Maximus lib. VII. breuiter & eleganter prodidit, sed in eius verbis voculæ vnius deprauatio latet, quæ mirum quantas IVSTO LIPSIO, acerrimi aliàs iudicij viro tenebras offuderit. Eam è Valerio labem vt hoc Capite eluamus, verba eius hic antè proponenda sunt.

Libro itaque VII. Cap. III. vbi de vafrè dictis ac factis agit, vulgò sic legitur: *Sordidâ Magorum dominatione oppressâ, Darius rex adiutoribus eiusdem dignitatis assumptis, pactum cum præclari operis consortibus fecit, vt equis insidentes, Solis ortu, cursum in quendam locum dirigerent, isque regno potiretur cuius equus in eo*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

primus hinnisset. Cæterùm maximæ mercedis competitoribus fortunæ beneficium exspectantibus solus acumine equisonis sui Ecbaris, prosperum exoptatæ rei effectum assecutus est, qui in equæ genitalem partem demissam manum, cùm ad locum ventum esset, naribus equi admouit. quo odore irritatus ante omnes hinnitum edidit: auditóque eos sex reliqui summæ potestatis candidati, continuo equis dilapsi (vt est mos Persarum) humi prostratis corporibus Darium regem salutauerunt. Hæc Valerius. Lipsius autem in Notis suis Valerio adiectis, verba illa priora: *Darius rex adiutoribus eiusdem dignitatis assumptis, &c.* mirè sibi inuoluta & intricata asserit, & duo ibi culpat. Primùm, quod Darius *rex* appelletur, cùm tamen nondum ad regnum euectus esset, agatúrque quo dolo illud adeptus. Alterum, quod aduersarios Darij, *adiutores eius* appellet. Lipsij verba sunt: Darium ecce *regem* vocat; atqui „candidatus regni saltem erat, & de eo agitur quo „modo, & qua fraude regnum adeptus. Sed & *adiu*„*tores eiusdem dignitatis* appellat. Adiutorésne? imò „contrà aduersarij eius, & quisque sibi spondebat „eam dignitatem. Aut nihil video, aut grandis & „audax deprauatio: quæ nescio an sic leuanda: „*Darius rei adiutoribus eiusdem assumptis*, &c. Hæc Lipsius. Ex quibus patet quantum se torserit vir ille maximus in hoc loco, cuius claritas & splendor vnius litterulæ nubeculâ obumbratus Lipsij aciem fugit, eúmq. coëgit tam operosè locum illum mutare. Nam pro eo quod *rex* libris omnibus legitur, mihi dubiũ non est quin de ingenio nostro *sex* reponendum sit, Valeriúsq; ita scripserit: *Darius sex*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

adiutoribus eiuſdem dignitatis aſſumptis, pactum, &c. Quâ tam exiguâ mutatione ſcripturæ quanta facta eſt ſententiæ mutatio! quàm clara res! Quæ vt adhuc magis eluceſcat, paulò altiùs nobis repetenda eſt hiſtoria.

Perſarum imperium (vt eſt latè apud Herodotum & Iuſtinum) à duobus Magis, Smerde & Patizite fratribus occupatum erat. Cõſpirarunt itaque ſeptem Perſarum optimates, & Magos coniunctis viribus trucidarunt. *Septem* dixi, quia (teſte Iuſtino) *ſeptem tantum conſcij fuêre huius coniurationis.* Et Herodotus lib. III. ipſorum nomina recenſet in hunc modum: Ὀτάνης μὲν νυν εἰσάγεται Ἰνταφέρνεα· ὁ δὲ Γωβρύης Μεγάβυζον· Ἀσπατίνης δὲ Ὑδάρνεα. γεγονότων δὲ τούτων ἓξ, παραγίνεται ἐς τὰ Σοῦσα Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπεος ἐκ Περσίων ἥκων, τούτων γὰρ δὴ ἦν οἱ ὁ πατὴρ ὕπαρχος. ἐπεὶ ὦν αὐτὸς ἀπίκετο, τοῖσι ἓξ τῶν Περσέων ἔδοξε καὶ Δαρεῖον προσεταιρίσασθαι. συνελθόντες δὲ οὗτοι ἐόντες ἑπτὰ ἐδίδοσαν σφι πίστις καὶ λόγους. id eſt: *Adſciuit ſibi Otanes Intaphernem: Gobryas Megabyſum: Aſpatines Hydarnem. Hi quum ſex forent, Darius à Perſis, (nam his pater eius Hyſtaſpes præerat) Suſa aduenit. qui cùm aduenißet, placuit ſex Perſis hunc in ſocietatem adſciſcere. Qui quum ſeptem eſſent, congreßi collocutique fidem mutuò dederunt, &c.* Occiſis itaque Magis, diu deliberatum eſt de alio monarcha ex illis ſeptemuiris eligendo. Darius autem qui vnus ex illis erat, cum reliquis ſex hoc pactum fecit, vt, cuius equus in conſtituto loco primus hinnitum edidiſſet, is regno potiretur, &c. Videte quàm parua res, & quàm puſillus error erat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

qui fruſtra tantum virum hoc nodo extricando exercuit, quem tandem ad ſcalpellum confugiens, integrâ voce (*dignitatis*) erasâ, & alterâ (*rex*) in (*rei*) mutatâ, diſſecuit & ſcidit potius quàm ſoluit, totamque ſententiam mirè turbauit. Inepta enim & Valerio indigna locutio eſt: *rei adiutores eiuſdem*, pro *eiuſdem rei adiutores*. At nos omnia Valerij verba ſeruantes, longè minori negotio locum reſtituimus. Et certè ipſum Valerium ita vt nos correximus edidiſſe, Valerius ipſe clamat: paulò poſt enim de iiſdem optimatibus agens, ſic ait: *ſex reliqui ſummæ poteſtatis candidati continuo equis delapſi Darium regem ſalutauerunt.* Iam ſatis patet, quid dicendum ſit ad illas difficultates, quas Lipſius initio mouit. Ad primam enim reſponſum patet ex dictis. Nam falſum eſt Darium ante electionem appellatum fuiſſe *regem* à Valerio. Ad ſecundam dico Lipſium non bene cepiſſe illa verba: *Adiutores eiuſdem dignitatis*: Accipit enim ille τὸ *dignitatis*, ac ſi idem eſſet quod *regni*, ſic, inquam, quaſi *adiutores eiuſdem dignitatis*, fuiſſent adiutores Dario vt ad regnum perueniret, quod falſum eſt. Aliter enim eſt intelligendum, vt *adiutores eiuſdem dignitatis* ſint, qui erant paris inter ſe conditionis, paris nobilitatis, & paris potentiæ: fuiſſe autem omnes paris conditionis, confirmat Iuſtinus lib. 1. his verbis, de iis agens: *Erant*, inquit, *virtute & nobilitate ita pares, vt difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret.* Ideo autem, *adiutores* vocat, quod Darium iuuerant ad mactandos Magos.

Hactenus dicta, clara & aperta ſunt, nec neceſſè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

habeo pluribus probare. Sed qui ſequitur nodus ex diametro ſententiæ noſtræ videtur aduerſari. Iuſtinus enim lib.1. vbi hanc eandem de Magophoniâ hiſtoriam refert, ait duos è ſeptem coniuratis, à Magis fuiſſe interfectos. eius verba ſunt: *Ad Magos perueniunt, quibus ne ipſis quidem animus in auxilium ſui defuit. Siquidē ſtricto ferro duos de coniuratis interficiūt.* Quinque, ergo, tantùm ex iis ſupererant, inter quos Darius, qui cum quatuor reliquis huiuſmodi pactum iniit. Hoc profecto ſi verum eſt,

Cur non piſtrino trador ego atque aſino?

Nam tum falſum eſſet quod Valerius ex noſtrâ correctione de *ſex* illis retuliſſet. Non turbemur: Hiſtorica face hic opus, quæ has tenebras diſpellat. Eam clarè præfert in Thalia Herodotus, (cuius quidem ob antiquitatem non paulò maior auctoritas quam Iuſtini) qui duos illos è coniuratis, non interfectos à Magis, ſed tantum læſos ſcribit, his verbis: Ὁ δ᾽ ἕτερος, τῇ αἰχμῇ ἠμύνετο· καὶ τοῦτο μὲν, Ἀσπαθίνην παίει ἐς τὸν μηρόν. τοῦτο δὲ Ἰνταφέρνεα ἐς τὸν ὀφθαλμόν. καὶ ἐστερήθη μὲν τοῦ ὀφθαλμοῦ ἐκ τοῦ τρώματος ὁ Ἰνταφέρνης, οὐ μέντοι ἀπέθανέ γε. τῶν μὲν δὴ μάγων ἕτερος τρωματίζει τούτους. *Alter* (de Mago loquitur) *ſe lanceâ tuebatur, eoque tum Aſpathinis femur percußit, tum oculum Intaphernæ: oculoque ex vulnere Intaphernes, non tamen vita priuatus eſt. Et hos quidem alter Magorum vulnerauit.* Et paulo poſt: Ἀποκτείναντες δὲ τοὺς μάγους, καὶ ἀποταμόντες αὐτέων τὰς κεφαλάς, τοὺς μὲν τρωματίας ἑωυτῶν αὐτοῦ λείπουσι καὶ ἀδυνασίης ἕνεκεν, καὶ φυλακῆς τῆς ἀκροπόλιος. id eſt: *Interfe-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ctis Magis capita demunt, eaque gestabant quinque coniuratorum, duobus reliquis qui saucij erant, illic relictis, tum quod inualidi eßent, tum arcis tuendæ causa. Deinde ex sequentibus deliberationibus apud Herodotum satis patet binos illos ex vulnere conualuisse. Vnde de correctione nostrâ dubitandum non est.

Porrò, cùm hæc super præsenti Valerij loco iamdudum à me contrà Lipsij sententiam disputata forent, incidi postea in Christophori Coleri, viri doctissimi ad Valerium Notas, in quibus animaduerti illum easdem, quas ante illum Lipsius, in hoc Valerij loco passum esse difficultates, cur nimirum Valerius Darium *regem* vocaret, qui nondum rex: & cur aduersarios & æmulos eius, *adiutores* illius appellaret, quod sese iuxta cũ ignarissimis ignorare ingenuè fatetur. Sed mox ad ipsa cubilia latentis monstri (vt ipse loquitur) sese peruenisse existimat, & conglutinatis duabus vocibus scribendũ omnino censet: *Darius recuperatoribus eiusdem dignitatis assumptis, &c.* Quæ lectio, cùm non minus quàm Lipsiana, longissimè à Valerij verbis recedat, nulla ratione admittenda est. Nostra verò emendatione nihil pronius aut clarius, quod facile diiudicant qui norunt, *quid distent æra lupinis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT II.

Auſpicia ex acuminibus *quænam ſint apud M. Tullium, & Arnobium. Vetus tabula marmorea illuſtrata.*

σαυρωτήρ.



NEMO adeo ſiccis pedibus Antiquitatis mare tranſiit quin obſeruarit veteres, cùm in omnibus actionibus ſuis, tum in bello potiſſimum *Auſpiciorum* habuiſſe rationem. Inter cætera autem *militaria auſpicia* illud erat quod *ex acuminibus* dicebatur, cuius Cicero, aliique meminerunt. Quale autem hoc *auſpicium* fuerit, & quo ritu obſeruatum, ignorare ſe fatentur, adeóque hactenus incompertum eſſe aſſerunt præſtantiſſimi huius ætatis viri, Carolus Sigonius lib. 2. de Antiquo Iure prouinciarum, & Io. Anton. Valtrinus lib. de Militia Romana, aliique. Nos verò, antequam ſuper hac re ſententiam noſtram proponamus, ipſa auctorum loca, vnde difficultas nata eſt, hîc præmittenda duximus. Cicero itaque lib. 1. de Diuinat. ſic ait: *Ex acuminibus, quod totum auſpicium militare eſt, M. Marcellus totum omiſit.* Idem lib. 2. de Natur. Deorum: *Negligentia nobilitatis, Augurìorum diſciplina omiſſa, veritas auſpiciorum ſpreta eſt, ſpecies tantum retenta. Itaquè maximæ Reipub. partes, in his bella, quibus Reipub. ſa-*

lus continetur, nullis auſpiciis adminiſtrantur, nulla perennia ſeruantur, nulla ex acuminibus. Arnobius lib. 2. *Aut Martium diſcrimen obeuntes ſpem prælij ſumitis, & ex acuminibus auſpicatis.* Nonnulli putant id auſpicium ſumptum ex acumine ſpiculorum, pilorum, enſium, ſi ſplenderent, ſi retuſa non eſſent, ſi horrorem quendam præ ſe ferrent. At hæc ſententia nullis veterum teſtimoniis aut exemplis ſubnixa eſt. Alij vero hæc loca mutare aggreſſi, *ex agminibus* ἀντὶ τοῦ *ex acuminibus* ſubſtituendum putarunt. Fruſtrà.

Vide errata in fine voluminis.

Ego non dubito *Auſpicia ex acuminibus* ea eſſe dicta quæ ex cuſpidibus ſignorũ militariũ terrâ euulſorũ capiebãtur. Erant enim ſigna illa, (vt ex veteribus numis ac monumentis patet) longis contis impoſita, qui in ferratam cuſpidẽ acutam deſinebant, vt terræ infigi poſſent. Vnde propriè *ſigna* dicebantur *figi.* Claudianus de Bello Gildonic.

---Non vt proculcet Oaxem
Conſul ouans, noſtræque premant pharetrata ſecures
Suſa, nec vt rubris aquilas figamus arenis.

Ammian. Marcellin. lib. XLII. *Fixis ilico ſignis.* Cùm verò ſigna hęc mouebantur, ſi à ſignifero facile humo euellerentur, fauſtum iſtud omen cuncti cenſebant, & certam de futura victoria ſpem concipiebant. Hinc idem Claudianus eodem libro de Expeditione in Gildonem agens:

Hæc vbi ſederunt genero, notiſſima Marti
Robora præcipuos electa pube maniplos
Diſponit, portúque rates inſtaurat Etruſco.

Her-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Herculeam suus Alcides, Iouiamque cohortem
Rex ducit superûm: premitur nec signifer vllo
Pondere, FESTINANT *adeo* VEXILLA MOVERI.

Contrà verò, si difficulter illa euellerētur, & signifero mouenti velut reluctarentur, infaustum id augurium erat, & certam cladem portēdebat. Seruius ad illud Maronis lib. II.

--- vbi primùm vellere signa
Annuerint superi, pubémque educere castris.

Vellere, inquit, *propriè dicit, quia Romana signa figebantur in castris: & cùm ad bellum eundum esset captatis auguriis euellebantur è terra, nam alibi ea figi non licebat. Sed inter auguria hoc etiam habebatur, si auellentem facilè sequerentur, adeò vt cum filio in Arabia, Parthico bello, sit Crassus occisus qui iturus ad prælium auellere signa vix potuit.* Hanc historiam ita narrat Dion: Τῷ δὲ δὴ Κράσσῳ τὸν Εὐφράτην κατὰ τὸ Ζεῦγμα διαβαίνοντι, καὶ προφανῆ καὶ δυσσύμβολα συνηνέχθη. ὁ γὰρ ἀετὸς ὠνομασμένος (ἔστι δὲ νεὼς μικρὸς καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται, καθίσταταί τε ἐν πᾶσι τοῖς ἐκ στρατοπέδοις, καὶ οὐδαμόσε ἐκ τῶν χειμαδίων, πλὴν εἴποι σύμπας ὁ στρατὸς ἐξίοι, κινεῖται, καὶ αὐτὸν εἷς ἀνὴρ ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἐς ὀξὺ τὸν στύρακα ἀπηγμένου, ὥστε καὶ ἐς τὸ δάπεδον καταπήγνυσθαι, φέρει) τούτων οὖν τῶν ἀετῶν εἷς οὐκ ἠθέλησε τὸν Εὐφράτην αὐτῷ τότε συνδιαβῆναι, ἀλλὰ ἐν τῇ γῇ ἐνέσχετο, ὥσπερ ἐμπεφυκώς. πρὶν δὴ πολλοὶ περιστάντες βίᾳ αὐτὸν ἀνέσπασαν. id est: *Crasso Euphratem apud Zeugma transeunti manifesta, ac quæ quid designarent intelligi facilè posset, signa euenerunt. Aquila enim quæ dicitur (est sacellum exiguum, & in eo aquila aurea locatur, statuitúr-*

que in omnibus ordinariis legionibus, nec quoquam ex hybernis effertur nisi cùm omnis legio exit, quam vir vnus in hastâ longâ cuius inferior cuspis in acutum desinit, vt in terram defigi poßit, portat) huiusmodi, ex aquilis vna noluit cum Crasso Eufratem transire, sed perinde ac si terræ adnata esset, ita infixa hæsit, donec tandem à multis circunstantibus vi euulsa fuit, inuitaque comitata est suos.

Paria de eodem Crasso refert Valerius lib. I. cap. VI. de Prodigiis: *Non sinit nos*, inquit, *M. Crassus, inter grauißimas Reipub. iacturas numerandus, hoc loco de se silentium agere, plurimis & euidentißimis ante tantam ruinam monstrorum pulsatus ictibus.* Et mox subiungit: *Aquilarum altera vix conuelli à primipilo potuit, altera ægerrimè exstracta, in contrariam ac ferebatur partem seipsam conuertit.* Et eodem Capite de C. Flaminio: C. *Flaminius inauspicato Consul creatus, cùm apud lacum Trasimenum cum Annibale conflicturus, conuelli signa iußisset, lapso equo, super caput eius humi prostratus est: nihilque eo prodigio inhibitus, signiferis signa moueri sua sede posse negantibus, malum iis, ni continuò ea effodissent, minatus est. Verùm huius temeritatis vtinam suâ tantum, non etiam Pop. Rom. maximâ clade pœnas luisset.* Sic de *Scriboniani* morte Orosius lib. 7. *Furius*, inquit, *Camillus Scribonianus, Dalmatiæ Legatus, bellum ciuile molitus, legiones multas fortißimásque ad sacramenti mutationem pellexerat. Itaque die dicto vt in vnum vndique ad nouum Imperatorem conueniretur, neque aquilæ ornari, neque conuelli quoquo modo signa*

mouerine potuerunt. Itaque (vt mox addit Orosius) *quinto post die Scribonianus interfectus est.*

Huiusmodi itaque fuisse ea *Auspicia* quæ ex *acuminibus* dicebantur, certum est: nec sinit nos ambigere vetus tabula marmorea ATIMETI LIBERTI PVLLARII, quæ Romæ visitur in ædibus Cardinalis Cæsij. In illâ enim, cùm *Auspicia* è pastu pullorum capi solita, in bellis vsitata, ac præterea signa militaria cum huiusmodi acuminibus ac loculis, quibus custodiæ causa inserebantur, expressa sint, quis dubitet duo hæc *Auspiciorum militarium* genera, ceu præcipua, illo marmore esse repræsentata?

Ipsam tabulam hîc exprimendam curauimus, ne vllum de superiori interpretatione nostrâ dubium relinquatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

M. POMPEIO. M. F. ANIS. ASPRO CEN-
TVR. LEG. XV. APOLLINAR. CENTVR.
COH. III. PR. PRIMOP. LEG. III. CYREN.
PRÆ F. CASTR. LEG. XX. VICTR.

ATIMETVS LIB. PVLLARIVS
FECIT ET SIBI ET

M. POMPEIO M. F. ET CINCIAE COL-
LIBERT. ASPRO SATVRNINAE FILIO
SVO ET VXORI SVAE M. POMPEIO-
M. F. COL. ASPRO FIL. MINORI.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Porrò *cuſpides* illas ſiue *acumina*, quibus ſigna terræ infigebantur fuiſſe acutiſſima, vel hinc ſatis colligi poteſt, quod Cæſar apud Dyrrachium illis penè ſit confoſſus, cùm fugientem aquiliferum detinere & morari conaretur: Suetonius in eius Vita, cap. LXII. *Inclinatam aciem ſolus ſæpè reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinénſque ſingulos, & contortis faucibus conuertens in hoſtem, & quidem adeò plerumque trepidos vt aquilifer moranti ſe, cuſpide ſit comminatus: alius in manu detinentis reliquerit ſignum.* Et Appianus auctor eſt aquiliferum illum mox ſigno in contrarium verſo, occiſum eſſe, id eſt, parte inferiore haſtilis quæ (vt diximus) mucronata erat, vt terræ infigeretur. Pars hæc Homero σαυρωτὴρ, vulgo στύραξ appellatur.

Cæterùm Pierius Valerianus lib. XLII. Hieroglyph. in explicatione huius tabulæ, exiſtimat per contignationem illam quæ velo tegitur, hic caſtrorum ſpeciem deſignari. At longè veriſimilius eſt eam eſſe formam ædiculæ illius, in quâ Aquilam recondi ſolitam, loco ſuprà à nobis allato, teſtatur Dion.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT III.

Prosperi Chronicon illustratum. Cuspiniani error. Nobilissimi *appellatio.*

GRAVEM errorem nuper deprehendimus Io. Cuspiniani, accurati aliàs & eruditi viri in Notis illius ad Prosperi Chronicon, in quo de Honorij Consulatu ita scriptum legitur:

HONORIO N B. P. & EVODIO COSS. *Burdigalæ quædam Priscilliani sectatrix, nomine Vrbica ob impietatis pertinaciam lapidibus obruta est.* Per litteras illas singularias, N B. P. Cuspinianus NEPOTEM hîc designari credidit, adeóque,

HONORIO NEPOTE & EVODIO COSS. &c. in Prospero edi curauit. At longè à vero hallucinatus est. Nam NOBILISSIMI PVERI titulus iis notis designatur, atque ita intelligendus Prosperi locus:

HONORIO NOBILISSIMO PVERO, & EVODIO COSS. &c. Notum est, titulum *Nobilissimi* primam fuisse honoris appellationem quâ *Cæsares*, seu designati iam Imperij successores donarentur. Photius in Bibliothecâ ex Olympiodoro: Οὐαλεντινιανὸς, ὃς ζῶντος μὲν Ονωρίου Νωβελίσσιμος γίνεται. Vetus inscriptio Narbone:

M. IVLIO PHILIPPO
NOBILISSIMO CÆS.
PRINCIPI IVVENTVTIS
SEP. BÆTERR.

Denique in Cod. Theodoſ. & priſcis Inſcription. nuſquam hic titulus non occurrit. Meritò autem hîc in Faſtis *puer* inſcribitur *Honorius*, nam ipſo natiuitatis ſuæ anno *Conſul* renunciatus eſt. Vnde ſic de illo Claudianus in Panegyr. de IV. eius Conſulatu. ---- *Inter cunabula Conſul*

Proueheris, ſignans poſito modo nomine Faſtos,
Donaturque tibi qui te produxerat annus.
Ipſa Quirinali paruum te cinxit amictu
Mater & ad primas docuit reptare curules.

CAPVT IV.

Occultior Rutilij Numatiani Galli locus in Itinerario explicatus. Viri docti error ibi notatus. Itali imbres *in Africa.* Statius, Lucanus, & Ariſtoteles in Problematibus illuſtratus.

EXſtat elegantiſſimum Claudij Rutilij Itinerarium, ab Onuphrio editum, in quo inter cætera his verbis vrbem Dominam, Romam Poëta alloquitur.

Æternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
Altricemque ſuam fertilis orbis alat.
Quin & fœcundas tibi conferat Africa meſſes
Sole ſuo diues, ſed magis imbre tuo.

Romam, vt dixi, alloquitur his verſibus Rutilius, ſed quid eſt quod dicit *Africam diuitem eſſe imbre Romano?* dum inquit:

Sole ſuo diues ſed magis imbre tuo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Theodorus Sitzmanus, vir eruditus, qui Itinerarium hoc nuper Animaduersionibus suis illustrauit, ait Africam hîc *diuitem* dici *imbre Romano*, hoc est, *sanguine hominum à Romanis in Africâ occisorum, quo luxuriabat humus, & pinguior reddebatur.* At longissimè à Rutilij mente aberrauit. Philosophia nobis hic succurrat necesse est, è cuius intimis penetralibus depromptus hic locus. Obseruant enim Physici Boream nubes in Italiâ collectas in Africam deuehere, atque ideo imbres ibi causare. Et hoc est quod Papinius noster *Italos imbres* in Africâ ponat, VIII. Thebaid.

---- tantâ quatitur nec grandine Syrtis
Cum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.

Et perpetuò, flante Boreâ, pluit in Africâ, in Italia verò serenum est. Hinc Lucanus lib. IX. vbi Africam describit, eleganter *nostris serenis* id est *Italis* (Romæ enim scribebat) Africam fœcundari dixit:

---- Libycæ quod fertile terræ est
Vergit in occasus: sed & hæc non fontibus vllis
Soluitur: Arctoos raris Aquilonibus imbres
Accipit, & nostris reficit sua rura serenis.

Idem lib. III.

---- cessantibus Austris
Cùm medium nubes Boreâ cogente sub axem
Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.

Causam huius rei latè dedit Aristoteles in Problematibus sectione XXVI. Problem. LVIII. vbi sic quęrit: *Διὰ τί ἄλλοις ἄλλοι τῶν ἀνέμων ὑέτιοι; οἷον, ἐν μὲν τῇ*

Ἀττικῇ

Ἀττικῇ καὶ ταῖς νήσοις, ὁ Ἑλλησποντίας. ἐν Ἑλλεσπόντῳ δὲ ὁ Βορέας καὶ ἐν Κυρήνῃ. περὶ δὲ Λέσβον νότος; ἢ ὅπου ἂν ἄθροισις νεφῶν, ἐνταῦθα ὕδωρ; ἐνταῦθα γὰρ ἡ πύκνωσις ἀθροίζεται, ὅπου ἂν προσκαθίζεσθαι ἔχοι. δι' ὃ καὶ ἐν τοῖς ὄρεσι μᾶλλον ὕει. ἐν Ἑλλησπόντῳ μὲν οὖν ἄνωθεν ὁ Βωρέας πολλὰ συνωθεῖ νέφη. πρὸς δὲ τὴν Ἀττικὴν καὶ τὰς νήσους, ὁ Ἑλλησποντίας, ὥσπερ ὕλην ἔχων. καὶ γὰρ παρείσαται τὰ πολλὰ ἐκ τοῦ Βορέου. περὶ δὲ Λέσβον, ὁ εὖρος καὶ ὁ νότος ἐκ τοῦ πελάγους φέροντες πολλὰ νέφη προσβάλλουσι τῇ χώρᾳ. τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. id eſt: *Cur venti alij, locis alijs imbrem afferunt? Verbi cauſa, Boreas Cyrenæ* (eſt hæc maxima Africæ ciuitas) *atque Helleſponto: Auſter Lesbo: Helleſpontias ventis terræ Atticæ, inſuliſque vicinis? An,* inquit, *vbi frequentia nubium, inibi imbrem obuenire neceſſe eſt? ibi enim frequentia cogitur, vbi reſidere nubes accerſique eſt. Itaque montibus magis quàm planis pluit. Ergo apud Cyrenem & Helleſpontum Boreas multas deſuper nubes compellit, quod idem ad Atticam inſulaſque vicinas Helleſpontias, quaſi iam idoneam nactus materiam, efficit; quippe cum copia larga congeſta à Boreâ ſit. Lesbo Eurus atque Auſter nubes affatim ex alto adducunt. Atque in hunc modum vel de cæteris cogitare par eſt.*

Cæterum, quod Rutilius *Romam orbis altricem* vocat, id ſumpſit ex Plinio qui lib. 3. Cap. 5. ita de Italia: *Terra omnium terrarum alumna eadem & parens, & numine Deum electa.*

Rectè etiam dixit eandem vrbem alloquens:

Quin & fœcundas tibi conferat Africa meſſes:

Nam omne penè frumentum Romam ex Africa & Ægypto deuehebatur. Vnde Lampridius in Com-

modo: *Classem Africanam instituit, quæ subsidio esset si fortè Alexandrina frumenta cessassent.* Et Tacitus lib. XII. Annal. O*lim*, inquit, *ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias commeatus portabãt, nunc infœcunditate laboratur: sed Africam potius & Ægyptum exercemus, nauibusque & casibus vita Pop. Rom. permissa est.*

CAPVT V.

Manilij de Natatu versus à Ios Scaligero eiectus & de spurio suspectus, auctori suo assertus & explicatus. Alius eiusdem locus nouè correctus.

APud Manilium lib. v. pag. 121. vbi cum Capricorno oriente Delphine Natatores nasci ait, ita legitur:

Cæruleus ponto cum se Delphinus in astra
Erigit, & squammam stellis imitantibus, exit,
Ambiguus terræ partus pelagoque creatur.
Nam velut ille citis perlabitur æquora pinnis
Nunc summum scindens pelagus, nunc alta profundi,
Et sinubus vires sumit, fluctumque figurat;
Sic venit ex illo quisquis, volitabit in vndis
Nunc alterna ferens in lentos brachia tractus,
Et plausâ resonabit aquâ; nunc æquore mersas
* *Deducet palmas furtiuo remus in ipso.**
Nunc in aquas rectus veniet, passimque natabit,
Et vada mentitus reddet super æquora campum, &c.

Iosephus Scaliger in prima Edit. Manilij sui, versum illum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Deducet palmas furtiuo remus in ipſo,

Νόθον dixit, & è textu penitus eiecit. In ſecunda verò Rapheleng. Editione, verſum quidē admiſit, ſed planè ſtigmatiam, vt hic vides, & hæc ſequentia verba in ſuis Cōmentarijs ad illū adnotauit: Quid " eſt *homo remus deducet palmas in ipſo furtiuo*? Ego ſcio " & ineptum & ſuppoſititium verſum eſſe, & Mani- " lium, illo expuncto, ſcripſiſſe elegantiſſime: "

—— nunc æquore merſus "

Nunc in aquas rectus veniet, &c. —— "

Quo quid clarius dici poteſt? quid ſtolidius alte- " ro? &c. Hæc Scaliger. Equidem præfato honore viri ſummi, longè aliter ſentio, totumque verſum γνήσιον eſſe Manilij aſſero. Nam in vetuſto codice Manuſcripto quem ex Chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca mihi communicauit V. CL. Nic. Rigaltius, eius Bibliothecæ Præfectus, hic verſus legebatur. Quemadmodum etiam in antiquiſſimo Gēblacenſi codice, & Palatino, quo vſus eſt Fr. Iunius. Denique, etiam Bonincontrius illum agnoſcit in principe Edit. Romana. Vnde de ipſius antiquitate dubitandum non eſt. Nunc ad illius interpretationem nos accingamus, & dicamus quid ſit, *Homo remus deducet palmas in ipſo furtiuo*. Quod vt rectius fiat, notandum eſt Manilium more Græcorum ſæpe dicere *Ipſum*, pro *ſeipſum*; *in ipſo*, pro *in ſeipſo*, quod vel ipſo Scaligero teſte conuincam. Libro ecce 2. pag. 45. de Capricorno ſeipſum intuente:

—— contra Capricornus in ipſum

Conuertit viſus.

Quem V. in var. lect. ad hunc loc: Manil. pag: 125.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Ad quem locum ita Scaliger: *In ipſum*, id eſt, *in ſeipſum.* Maniliana locutio quam nos primi in hoc auctore obſeruauimus. Hæc ibi.

Lib. I. de axe mundi:

Quodcunque in medio eſt, circa quod cuncta mouentur
Vſqueadeo tenue eſt vt verti non poßit in ipſum.

Ibi Scalig. More ſuo dixit *in ipſum*, pro, *in ſe ipſum.* Vſqueadeo, inquit Manil. eſt tenuis axis vt ipſe circa ſeipſum moueri non poſſit.

Ibidem pag. 7.

Hæc æterna manet, Diuiſque ſimillima forma,
Cui neque principium eſt vſquam, neque finis: in ipſo
Sed penitus toto remanet, perque omnia par eſt.

Ibi Scalig. *In ipſo*, id eſt, *in ſeipſo*, vt lib. v. in ſphæra Barbarica de petauriſta qui populi ora atque oculos in ſe conuertit:

Et pene vt pendens populum ſuſpendit ab ipſo.

Alibi de mundo:

——*totus volat vndique in ipſum*, id eſt *in ſeipſum*. Ἑλληνισμός. εἰς αὐτὸν, ἐν αὐτῷ, pro εἰς αὑτὸν, ἐν αὑτῷ. Plura loca omitto in quibus ipſo Scaligero interprete ita loquitur Manilius.

His præmiſſis, facilis nobis erit præſentis loci interpretatio. *Deducet palmas*, inquit Poëta, *merſas ſub æquore, furtiuo remus in ipſo. In ipſo*, idem hic eſt quod *in ſeipſo*, vt ſuperioribus locis. *Furtiuo*, id eſt, *latenti ſub vndis*. Tota oratio concinnanda eſt in hũc modum: *remus erit in ſeipſo furtiuo*. Hoc eſt, remi vicem ſubiturus eſt in ſeipſo iam latenti atque abdito ſub vndis. Corpus enim natantis inſtar nauis eſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

brachia instar *remorum*. Simillimus locus est Musæi Poëtæ elegantissimi de Leandro natante:

Αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτόματος νηῦς

Quod ita eleganter vertit Q. S. Flor. Christianus:

Ipse suus remex, vector suus, & sua cymba.

Sic auctor Epistolæ Leandri:

Cùm patietur hyems, remis ego corporis vtar.

Et noster Statius de eodem Leandro non absimiliter in Epithalam. Stellæ.

Vidi & Abydeni iuuenis certantia remis
Brachia.

Furtiuum autem natatorem dixit Manil. *clandestinum & latentem.* Sic ante pag. 119. *Furtiuum murmur* dixit.

—— curas inter secreta mouebit
Carmina, furtiuo modulatus murmure vocem.

Toto loco sic proposito & explicato, non video cur versus hic suppositius dici, aut sede sua eiici debeat. Et sanè ipsa loci connexio satis euincit versum illum omnino hic esse necessarium, & sine illo claudicare sententiam. Duo nãque natatorũ genera hîc describit Manilius: *Pronos* & *Erectos*. Et *Pronos* quidẽ duplices facit. Alij enim sunt qui in summitate aquæ apparẽtes natãt, quos his versibus innuit:

—— volitabit in vndis
Nunc alterna ferens in lentos brachia tractus,
Et plausâ resonabit aquâ;

Alij verò *Proni* sunt qui sub ipsis aquis latentes sese mouent, quos verbis modò explicatis describit:

—— nunc æquore mersas
Deducet palmas furtiuo remus in ipso.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Niſi hæc diuiſio admittatur, non conſtabit comparatio quam Manilius ante fecit cum Delphino, quem modò in ſummitate pelagi, modò in ipſo fundo natare ait:

Nam velut ille citis perlabitur æquora pinnis
Nunc ſummum ſcindens pelagus, nunc alta profundi,
Sic venit ex illo quiſquis, volitabit in vndis, &c.

Sed iam verſum illum ſatis aſſertum & firmatum exiſtimo. Nunc alterum natantium genus videamus qui *Erecti*, quorum ſanè fortuna parum melior quàm præcedentium: in luto enim natant, è quo nemo eos hactenus liberauit. Legitur vulgo:

Nunc in aquas rectus veniet, paßimque natabit,
Et vada mentitus reddet ſuper æquora campum.

Quid illud, *paßim natabit?* aut quam vim hoc habet quod non cuiuis natantium generi conueniat? In codice Gemblacenſi ſcriptum vidi:

——— *paſſumque notabit.*

Nihil certius hac lectione. *Paſſum notare*, eſt natatu paſſum referre & exprimere, & in aquis, velut in campo erectè ambulantis ſpeciem repræſentare. Qua ratione verò hoc fiat, docet Cardan⁹ lib. XVIII. de Subtilit. non procul initio. Poſtquam enim dixit veſicâ ſub alis ſubditâ, ſine periculo flumina poſſe ſuperari, addit: *Fit hoc etiam tympanis ex corio alligatis & annexis ſub vtroque pede, & baculo aſſumpto, ſub quo etiam tympanum vel vter vento plenus alligatus ſit. Hoc modo poſſumus non ſolum natare, ſed etiam ambulare ſuper aquas, quæ res videtur planè prodigioſa.* Cùm nuper per epiſtolam, à Clariſſimo viro, Erycio Pu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

teano, sereniſſimorũ Belgij Archiducũ Conſiliario, ac Hiſtorico, qui eruditiſſimos de *Natatu veterũ* libellos parat, ipſius ſuper toto hoc Manilij loco, ita à me explicato, ſententiã petiiſſem, vehementer ille hanc meã interpretationẽ probauit: cuius ſanè viri exactiſſimo iudicio tantum tribuo, vt de aliorũ iudiciis omninò ſecurus ſim. Placet enim mihi illud Democriti: *Vnus mihi pro populo, & populus pro vno.*

CAPVT VI.

Petronij elegans locus correctus. Pompeius cum Hercule olim collatus.

MIror à tot eruditiſſimis viris, qui Petronij Satyricon certatim corrigere conati ſunt, non animaduerſum eſſe manifeſtum mendum in ſublimi illo & ſonoro de Bello Ciuili carmine, vbi Petronius inter cætera, etiam ipſos Deos partim Cæſaris, partim Pompei partibus fauiſſe refert. Nunquam enim (vt hoc obiter hîc præmittam) apud ſuperſtitioſam illam Ethnicorum turbam in terris bellum erat, quin ſubitò etiam in cœlo, inter Deos bellum oriretur, dum quiſque genti illi faueret, à qua peculiaribus honoribus colebatur. Ita Papinius noſter in Thebaide ſæpè Deos introducit quorum alij Argiuis, alij Thebanis fauent, vt lib. VIII. vbi pugnam deſcribit:

—— conuertêre oculos vtrinque fauentes
Sidonij Graijque Dei.

Et x.

Iamque Iouem circa studijs diuersa fremebant
Argolici, Tyrijque Dei.

Ex hoc itaque more, Petronius etiam introducit Deos, quorum alij à Cæsareanis, alij à Pompeianis partibus stabant. Sic enim canit:

—— Iamque omnis Regia cœli
In partes deducta ruit: primumque Dione
Cæsaris acta sui ducit: comes additur illi
Pallas, & ingentem quatiens Mars obuius hastam;
Magnaque cum Phœbo soror, & Cyllenia proles
Excipit, & totis similis Tirynthius actis.

Qui non omninò oscitanter hæc percurrit, facilè animaduertit planè claudicare hanc sententiam. Nam cùm diuersa Deorum studia sibi enumeranda proposuisset Petronius, tantum eos recensere videtur qui à Cæsaris partibus stabant, nulla facta mentione eorum, qui à partibus Pompei. Deinde, quæ est illa *Magna cum Phœbo soror*? An *Pallas*, quæ *Dianâ* dignior & maior? sed iam ante *Palladem* enumerauerat. Sine vllo dubio legendum est:

Magnum cum Phœbo soror, & Cyllenia proles
Excipit, &c.

Nihil verius hac nostra emendatione. CÆSARI, inquit, *Venus*, *Pallas*, & *Mars* fauebant. Et causæ patent. Ex *Veneris* enim & *Martis* prosapiâ Cæsar ortus dicebatur. POMPEIO autem (nam Pompeium cognomento *Magnum* dictum esse & decénes pueri norunt, vel ex vno Lucano) fauebant *Phœbus*, *Diana*, *Mercurius* & *Hercules*. Et mirum non est

cum

cùm Pompeius *Phœbo* templum erexisset. Et *Diana* Venationibus Amphitheatralibus præerat, quibus Pompeium deditissimum fuisse nemo ignorat. Postremo *Hercules*, cui *totis actis similem* ait fuisse *Pompeium*, tum aliis de causis, tum quia vt *Hercules* terram à monstris omnibus purgauit, ita *Pompeius* mare à piratis. Vnde etiam Plinius Comparationem gestorum *Pompei* & *Herculis* instituit Libro VII. Cap. XXVI. *Ad decus Imperij Romani, non solùm ad viri vnius pertinet, victorias* POMPEI MAGNI, *titulos omnes, triumphosque hoc in loco nuncupari: æquato non modò Alexandri Magni rerum fulgore, sed etiam* HERCVLIS *propè, ac Liberi patris.* Hinc ergo clarum cur Petronius Pompeium Herculi similē dixerit. Ad emendationem verò nostram quod attinet, vel solum verbum *Excipit*, satis arguit de alio hîc agi quàm de Cæsare, cuius iam antè Poëta meminerat.

Error natus erat ignorantiâ indocti librarij, qui Pompeium, *Magnum* appellatum esse nesciuerat, cùm tamen hoc eodem Carmine sæpius illo nomine denotetur, vt paulò ante:

Crassum Parthus habet: Libyco iacet æquore Magnus,
Iulius ingratam perfudit sanguine Romam.

Et paulò post:

—— gemino cum Consule Magnus,
Ille tremor ponti, sæui quoque terror Hydaspis
Et piratarum scopulus. Deinde,
—— nescis tu Magne, tueri
Romanas acies.

Apud Lucanum millies hoc nomine insignitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Ianus Rutgersius V. CL. indicauit mihi Senecæ in Octauiâ locum, à se correctum, in quo simili errore *Magni* nomen ab indoctis librariis oppressum erat. Actu enim ij. ita legitur:

—— hausit & Siculum mare
Classes virosque sæpè cædentes suos.
Concussus orbis viribus magnis ducum.
Superatus acie, puppibus Nilum petit
Fugæ paratis, ipse periturus breui.

Tu cum illo lege & distingue:

Classes virosque sæpè cedentes. suis
Concussus orbis viribus. Magnus ducum
Superatus acie, &c.

Sed de hoc loco pluribus ille aget in politissimis suis Varijs Lectionibus, quas affectas nuper apud illum vidimus.

CAPVT VII.

Vetustum è Marone mendum sublatum. Seruij ac Turnebi interpretatio reiecta. Mitra. redimiculum. Anademata.

VEtustissima esse librorum menda, neque heri, neque hodie, inter operas Typographicas nata, vnico exemplo hîc probare constitui. Producam enim è Marone locum, iam à Seruij ac Donati vsque temporibus corruptum, nec ab illis, nec à tot aliis qui ipsos subsecuti sunt, interpretibus animaduersum. Libro ecce IV. Æneid. vbi Hyar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

bas in Æneam ſtomachatur, in omnibus quæ nobis videre contigit, tam manu exaratis quàm typo excuſis exemplaribus, ſic legitur:

Et nunc ille Paris cum ſemiuiro comitatu,
Mœoniâ mentum mitrâ, crinemque madentem
Subnixus, raptu potitur, &c.

Quid quæſo hîc eſt *crinem ſubnixus?* Seruius ita explicat: *ſubnixus*, id eſt, *crinem vnguentatum ſubnixum habens*: aut, *ſubnixus, fiduciâ elatus.* Turnebus verò IV. Aduerſ. Cap. XIV. ſic locum interpretatur: SVBNIXVS, id eſt *ſub mitrâ crinem, mentumque ſubiectum habens.* Nemo non videt quàm hæc ſint friuola. Nã Seruius quidem cum duas interpretationes adferat, in primâ ridiculè idem per idem explicat: altera verò non indiget refutatione. Quid verò eſt, quod Turnebus ait, *crinem habere ſubiectum?* Ego vel ſacramento quinquagenario affirmare auſim locum eſſe corruptum, & Maronẽ ſcripſiſſe mutatâ litterulâ:

——*crinemque madentem*
Subnexus.

Quæ emendatio noſtra vt rectiùs intelligatur, de mitrâ quædam præmittenda ſunt. Erat *mitra*, capitis ornamentum ex quo dependebant tæniæ quædam & faſciolæ tenues, quæ ſub mento in nodum conſtringebãtur, vt hoc modo mitra capiti firmius alligaretur. Has dependentes faſciolas, *Virgil.* lib. IX. *redimicula* appellauit, vbi etiam Troiani irridenter quemadmodum hoc præſenti loco, quod mitras geſtarent.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Isidorus: *Redimicula sunt quibus mitra alligabatur*. Græcis ἀναδήματα vocabantur, ἀπὸ τοῦ ἀναδέω. *ligo*.
Lucret. lib. 4.

Et bene-parta patrum fiunt anademata mitræ.

Paull. ff. de auro & argento legato: *sunt mitræ*, inquit, *& anademata*. Ex his modo Maronis locus clarissimus est, qui ait Æneam ad instar feminarum, mitram redimiculis illis sub mento alligatam & innexam gestasse. Et ne quis dubio relinquatur locus, similes aliquot è Marone locutiones ascribam, quibus eodem verbo *subnectendi*, in eadem re vsus est. Lib. ecce, x. Æneid.

——*fusos ceruix cui lactea crines*
Accipit, & molli subnectit circulus auro.

Et IX.

Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Papinius Epiced. Pat.

——*speciéque comam subnexus vtrâque.*

Porrò idem mendum est apud Ouid. vi. Metamorph. Fab. vltimâ, vbi in omnibus vulgò editionibus legitur:

Barbáque cum rutilis aberat subnixa capillis.

Quo loco interpretes *subnixam barbam*, explicant *subiectam*, vt Turneb. suprà illud Maronis. At certo certiùs ibi etiam legendum:

——*rutilis subnexa capillis.*

Solebant enim veteres barbam suam in varios, eosque dependentes nodos torquere, vt patet ex nummo Quirini, quem Ortelius exhibuit in suis Deorum Dearumque Imaginibus, ab amico nostro Fr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Svveertio V. CL. non leuiter illuſtratis. Ne quis autem miretur mendum hoc tot iam ſæculis in Marone latuiſſe, aſcribam ſimillimum eiuſdem Maronis corruptum locum, à Ioſepho Scaligero animaduerſum & explicatum. Dixerat de Tauro Virgil.

——— *& inter*

Dura iacet pernix inſtrato ſaxa cubili.

Agnoſcit Seruius hîc *pernix*, & interpretatur. Sed (vt rectè quærit Scaliger) quid *pernicitati* cum laſſo & iacente? quid etiam tauro non laſſo? Quid magis contrarium pernicitati quàm Prouerbium βοείῳ ποδί? Itaque pro *pernix* legendum *pernox*, vt acutè cenſuit Scaliger, & ſic locus clarus eſt. Vide errata in fine volum.

CAPVT VIII.

Duûm Ciceronis locorum emendatio, ex coniectura V. CL. *Claudij Puteani.*

MAgnam omnino iacturam fecerunt bonæ litteræ in præmaturo obitu Ampliſſimi viri Claudij Puteani, Senatoris Regij, dũ tot inchoatis operibus ſuis, Fatorum iniquitate nimium citò ſubtractus eſt. Illius ad varios auctores obſeruationes non paucas, inter ſcedas ipſius diſperſas vidi nuper apud eius filium Pet. Puteanum, Virum Clariſſ. & humaniſſimum, qui inter alia, binas parentis ſui in Ciceronem coniecturas mecum communicabat, quas ego diutius bono publico inuidere nolui, ac hiſce Electorum libris inſerendas duxi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

vt leuibus & iuuenilibus exercitationibus nostris ex grauissimi viri obseruationibus pondus aliquod accederet.

Prima eius emendatio est in locum Cicer. ad Attic. Epist. XIX. l. V. qui sic habet: *Etiam atque etiam vale. De Patrone & tuis condiscipulis, quæ de parietinis in militia laboraui; ea tibi grata esse gaudeo.* In quem locũ hæc quæ sequuntur, totidem verbis adnotarat ὁ μακαρίτης: Sic edidit Lambinus, cùm alij libri omnes, etiam scripti, habeant *Tarentinis*; sequutus Italorum quorundam coniecturam, quam refellit Victorius in suis annotationibus in hunc locum, & in Var. Lect. lib. 9. cap. 3. qui illud etiam vidit postrema illa verba: *Quæ de Tarentinis, &c.* nouæ periodi initium esse, neque ex superioribus pendere: ea autem quæ proximè antecedunt, cùm mendosa esse agnoscat, quomodo emendanda sint, coniecturâ assequi non potuit; tantùm veterem scripturam proposuit, quę & ipsa mendo non vacat. Ego totum hunc locum sic distinguendum & legendum esse puto; *Filiolam tuam tibi iam Romæ iucundam esse gaudeo; eamque quam numquam vidi, tamen & amo & amabilem esse certò scio. Etiam atque etiam vale dic Patroni & tuis condiscipulis. Quæ de Tarentinis, &c.* Vt autem hic locus intelligatur, proponendus est alter ex epist. 2. lib. VII. quod & Victorius monuit; in quo eadem hæc explicatius traduntur; *Filiola tua te delectari lætor, & probari tibi* στοργὴν φυσικὴν *esse* τὴν πρὸς τὰ τέκνα. *Etenim si hæc non est, nulla potest homini esse ad hominem naturæ adiunctio; qua sublata, vitæ societas tollitur. Benè eueniat, inquit Car-*

neades: ſpurcè; ſed tamen prudentius, quàm Lucius noſter & Patro, qui cùm omnia ad ſe referant, quidquam alterius cauſſa fieri putent? &c. Hæc Cicero: qui in vtroque loco & de Attici in filiam amore agit, & Patronis aliorumque Epicureorũ meminit. Epicurus autem nõ putabat στοργὴν φυσικὴν εἶναι τὴν πρὸς τὰ τέκνα: atq; hoc ipſo quòd omnia ad ſe ipſum referenda eſſe dicebat, neque alterius cauſſa quidquam fieri oportere; eam tollebat. Cùm ergo Atticus, quamuis Epicureus, filiam ſuam amaret; hortatur eum Cicero, quoniam ab illo Epicuri decreto natura impellente deſciuerat, vt iam vniuerſam eius philoſophiam relinquat. Illis autem verbis: *etiam atque etiam vale dic*, puto ipſum exprimere voluiſſe illud Græcorum, πολλὰ ἐῤῥῶσθαι φράζειν. Demoſthenes περὶ παραπρεσβείας, cùm recitaſſet aliquot Sophoclis iambos, ſubiungit; Τούτων Αἰσχίνης οὐδὲν εἶπε πρὸς αὑτὸν ἐν τῇ πρεσβείᾳ· ἀλλ' ἀντὶ μὲν τῆς πόλεως τὴν Φιλίππου ξενίαν καὶ τὴν φιλίαν πολλῷ μείζονα ἡγήσατο αὑτῷ καὶ λυσιτελεστέραν, ἐῤῥῶσθαι πολλὰ φράσας τῷ σοφῷ Σοφοκλεῖ. vel illud, μακρὰν χαίρειν, vel πολλὰ χαίρειν λέγειν: quod genus loquendi, vt Græcos omittam, Cicero lib. 8. harum epiſtol. vſurpauit de Pompeio loquens: *At ille* πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ *dicens, pergit Brunduſium, &c.* Idem lib. VII. Famil. extremo, *Ego verò multam ſalutem & foro dicam, & curiæ.* Poteſt & ita locus hic accipi; Cùm tibi Epicuri philoſophiam & decreta non probari rebus ipſis declares, ſupereſt vt Patronem, tuoſq; condiſcipulos Epicureos valere iubeas, tanquam mox ipſorum caſtra relicturus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Alia eiuſdem coniectura eſt de loco quodam Ciceronis in Orat. pro *Sext. Roſcio Amerino*, in hęc verba: *Quòd ſi luce quoque canes latrent, cùm Deos ſalutatum aliqui venerint, opinor iis crura ſuffringantur, quod acres ſint etiam tum, &c.*] De quo loco idem vir magnus ſuſpicionem ſuam his ſubſequentibus verbis aperuerat: Puto legendum, *opinor ij cruci ſuffigantur*; vt & paulò poſt, *cruci quidem vos nemo ſuffiget*, pro, *crura quidem vobis nemo ſuffringet.* Mouet me quòd crurum, (ita dixerim) fractio ſupplicij genus eſt in canibus, quod quidem ſciam, inauditum; crux verò recepta & ſolemnis. Plutarchus περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης, poſtquàm narrauit notam illam & multorum ſcriptis celebratam hiſtoriam de anſeribus, qui canibus dormientibus Gallorum in Capitolium adſcenſum perſenſerunt, & clangore vigiles excitarunt, hæc ſubiungit; Πομπεύει δ' μέχρι νῦν ἐπὶ μνήμῃ τῶν τότε συμπτωμάτων ἡ τύχη. κύων μὲν ἀνεσταυρωμένος, χὴν δ' μάλα σεμνῶς ἐπὶ στρωμνῆς πολυτελοῦς καὶ φορείου καθήμενος. Plinius lib. 24. cap. 4. *Eâdem de cauſſa*, inquit, *ſupplicia annua canes pendunt: inter ædem Iuuentatis & Summani, viui in furcas ſambucea arbore fixi.* Huc etiam pertinet, quod ſcribit Ælianus lib. 12. hiſt. animal. cap. 33. quamquam ſupplicij genus non exprimit; Ταῦτά τοι τίνουσι δίκας οἱ κύνες παρὰ Ῥωμαίοις καὶ νῦν ἀνὰ πᾶν ἔτος προδοσίας ἀρχαίας μνήμῃ. Τιμᾶται δὲ ταῖς τεταγμέναις ἡμέραις, καὶ ἐν φορείῳ πρόεισιν εὖ μάλα πομπικῶς ὁ χήν. Atque hæc illi prodiderunt de canibus Capitolinis, quorum etiam hîc mentionem facit Cicero: ſed & illi coniũctim de canibus & anſeribus ver-

ba

ba faciunt, vt & hic noſter. Scio quidem illos de annuis canum Capitolij προδοσίας ἀρχαίας μνήμῃ (vt Æliani verbis vtar) ſupplicijs loqui; Ciceronem verò de pœna quæ iis irrogabatur, ſi quando eos allatrarent, qui Deos ſalutatum venerant. Sed hoc volui indicare, canes Capitolinos cruci olim ſuffixos fuiſſe: cuius moris ignoratione locum hunc deprauatum ſuſpicor ab iis, quibus ridicula res videretur, vti re vera eſt; belluas rationis expertes & in quas iniuria non cadit, humano ſupplicio affici. Quòd ſi hæc emendatio probetur, elegans erit & venuſta in iis quæ paulò pòſt ſequuntur, quaſi παρονομασία; quæ vt vulgò locus hic legitur, friget, eſtque, vt ita dicam, ἀναφρόδιτος; *cruci quidem vos nemo ſuffiget; ſed ſi ego hos bene noui, litteram illam cui vos vſque eò inimici eſtis, vt etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput adfigent, vt, &c.* Luſiſſe videtur Cicero in his vocibus, *ſuffiget*, *affigent*.

CAPVT IX.

Solinus emendatus. cenſere *nouâ notione.*

VErba Solini ſunt in Polyhiſtore, Cap. XIII. vbi de tertio Europæ ſinu agit: *Dodone Iſmaro celſa eſt: Delphi Cephiſſo flumine, Caſtalio fonte, & Parnaſſi iugis celebres.* Priora illa verba: *Dodone Iſmaro celſa eſt,* iamdiu viris doctis mendoſa viſa ſunt. Itaque nonnulli ſic corrigendum audaciùs cenſuerunt: *Dodone, vt Maro dicit, Ioui ſacra eſt.* Quaſi Solinus reſpice-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ret ad illa Maronis verba quæ in Priapęis leguntur:

Dodone tibi, Iuppiter, ſacrata eſt.

Accuratiſſimus Delrius ait in ſuo veteri codice legi: *Dodone, vt Maro, celſa eſt.* Equidem non dubito quin veram lectionem minori negotio repererim. Lego itaque litterulæ vnius mutatione: *Dodone Iſmaro cenſa eſt*, Id eſt, Dodone cenſetur & æſtimatur ob nobilem illum montem Iſmarum. Latinitas iam deficiens, hoc loquendi genere potiſſimùm vſa eſt. Latinus Pacatus in Panegyrico: *Sint*, inquit, *Gargara prouentu læta tritici: Meuania memoretur armentis: Campania* CENSEATVR *monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dum Hiſpaniæ vni quicquid laudatur aſſurgat.* Hic ecce ait Pacatus *Campaniam cenſeri monte Gaurano*, quemadmodum Solinus *Dodonem monte Iſmaro.* Ita Martialis lib. I. Epigr. LXII.

Cenſetur Apona Liuio ſuo tellus.

Plinius Panegyr. *In præſentia quidem, quiſquis paulò vetuſtior miles, hic te commilitone cenſetur.* Iuuenal. Sat. VIII.

——ſed te cenſeri laude tuorum
Pontice noluerim.

Claudianus in Laud. Serenæ de Hiſpaniâ:

——nec laude virorum
Cenſeri contenta fuit niſi matribus æquè Vinceret.

Valer. Max. lib. 5. Cap. 2. *Et ſanè ampliſſimæ ac ſpecioſiſſimæ diuitiæ ſunt, feliciter erogatis beneficiis latè poſſe cenſeri.* Hunc loquendi modum potiſſimum reperies apud ſcriptores æui Flauiorum Principum & poſteriorum, quod vel ex adductis teſtimoniis patet. Quin & Iuriſconſultis hæc locutio familiaris. Papinian.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

l. vltima D. de ſuis & legitimis : *Priuatorum cautiones legum auctoritate non cenſentur.* Vlpianus l. 1. D. ad municipalem, *Aliquo priuilegio maternam originem cenſeri* dixit. Idem l. 1. de Iuſtitia & Iure : *Videmus enim cætera quoque animalia iſtius iuris peritiâ cenſeri.* Qui locus fruſtrà à viris doctis ſollicitatur. Quod alij ex *Iſmaro* faciant, *vt Maro*, planè ineptum eſt. Primùm, quidem quia falſum eſt Maronem auctorem eſſe Priapæorum; ſecundò, quia nuſquam Maro Dodonem *celſam* vocat.

CAPVT X.

Prouerbium Senecæ reſtitutum.

EXiguum quiddam eſt quod hoc Capite de quodam Senecæ loco monere ſtatui. Sed quemadmodum in pulcherrimo corpore etiam minimi næui diſplicent, ita in aureolis illis Senecæ Epiſtolis turpe mendum, & præſertim nec Lipſio, nec Mureto animaduerſum hærere, diutius ferendum non eſt.

Ait Seneca Epiſtolâ centeſimâ : *Deſit ſanè varietas marmorum, & conciſura aquarum cubiculis interfluentium, & pauperis cella, & quicquid aliud luxuria non contenta decore ſimplici miſcet : quod dici ſolet ; Domus recta eſt.* Poſtremum illud, *Domus recta eſt*, Lipſius ſic explicat : *recta*, id eſt, *ſine vitio eſt, etſi minus ornata aut inſtructa.* At ego vel Iouem lapidem iurare auſim ſcripſiſſe Senecam, *Domus tecta eſt.* Ecquis ſolennia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Iuriſconſultorum verba neſcit, *ſarta tecta domus?* Vlpianus Pandect. I. tit. de officio Proconſ. & legati. l. ſi in aliquam: *Aedes*, inquit, *ſacras & opera publica circumire inſpiciendi gratiâ, an ſarta tectaque ſint, vel an aliqua refectione indigeant*. Celſus Pandect. 7. tit. de Vſufructu. *Hactenus tamen*, inquit, *vt ſarta tecta habeat: ſi qua tamen vetuſtate corruiſſent, neutrum cogi reficere*. Cicero in Verrem: *Cum Conſules ædes ſacras locauiſſent, neque potuiſſent omnia ſarta tecta exigere*. Sed nihil opus pluribus verbis in re clarâ. Vel ſola loquendi formula quam Seneca illi ſententię præmiſit, ſatis probat ipſum Prouerbium hoc voluiſſe innuere. Præmiſit enim, *vt dici ſolet*. Quæ formula prę molliendis Adagiis ſemper penè à veteribus præponitur: vt rectè obſeruauit Eraſmus in Prolegomenis ſuorum Adagiorum.

CAPVT XI.

Papinius explicatus. Lactantij ac Bernartij interpretum error indicatus. Globus, *quid Papinio?*

PApinius noſter VI. Thebaid. vbi Equitum certamen deſcribit, ita canit:

Emiſſos vidêre, atque agnouêre Pelaſgi:
Etiam rapti oculis, iam cæco puluere mixti
Vnâ in nube latent, vultuſque vmbrante tumultu,
Vix inter ſeſe clamore & nomine noſcunt.
Euoluêre globum, & ſpatio quo quiſque valebat,
Diducti.] Haud facilè dixerim quantum negotij fa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ceſſerint interpretibus verba illa, penultimo verſum comprehenſa, *Euoluêre globum*, &c. Lactantius Placidus, vetus Commentator, ait *Euoluêre globum*, idem hic eſſe, *quòd primam metam tranſierunt.* Quem ſenſum quomodo homo acutus ex illis verbis elicere potuerit, non video. Bernartius in Paralipomenis ſcholiorum ſuorũ, longiùs petitã interpretationem adfert, & per *globum* hîc ouum intelligi debere exiſtimat, quo ſpatia curriculorum in Circo notabantur apud Romanos. At illâ ſententiâ nihil alienius dici poteſt: Nam cùm oua illa in Circis nihil aliud fuerint quàm ſaxeæ quædam moles rotundâ figurâ, columnis impoſitæ, vt eas è vetuſtis lapidibus repræſentat Onuphrius, quâ ratione poterant *euolui*? Ego ſimpliciter per *globum* hîc intelligo puluerem globi more congeſtum, quo illi quos hîc equitantes deſcribit Poëta, cincti erant. Nam antè dixerat:

Et iam rapti oculis, iam cæco puluere mixti
Vnâ in nube latent, &c.

Itaque hoc verſu: *Euoluêre globum*, ſignificat equites illos puluere quo diu inuoluti fuerant, ſeſe euoluiſſe, & in apertum cœlum prodiiſſe. Et videre eſt apud varios auctores, *globum*, hac notione vſurpari. Sed οἴκοθεν μάρτυρα Statium, in rem præſentem aduocemus, qui VII. Thebaid. vbi de puluere ab Argiuorum exercitu excitato agit, eum *Puluereum globum* appellat:

—— *vbi iſte fragor? ni fallimur aure; ſed vnde*
Pulvereo ſtant aſtra globo?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Idem IX. Thebaid.

—— *Aduerte oculos, vbi plurimus ille*
Puluis, vbi ille globus.

Virgil. IX. Æneid.

Hic ſubitam nigro glomerari puluere nubem
Proſpiciunt Teucri, ac tenebras inſurgere campis.
Primus ab aduersâ conclamat mole Caycus:
Quis globus, ô ciues, caligine voluitur atrâ?

Claudianus de Bello Getico:

Pulueris ambiguam nubem ſpeculamur ab altis
Turribus, incerti ſocios apportet an hoſtes
Ille globus.

Solet enim puluis globi inſtar in altum attolli, quemadmodum etiam fumus & nebulæ. Vnde Statius I. Thebaid. de nebuloſo aëre:

—— *ſed illum*
Pallidus Inachijs qui deſuper imminet Argis,
Dum morior depelle globum.

Et Virgil. III. Æneid. de Æthnâ:

Attolitque globos flammarum & ſidera lambit.

Dixit autem Statius *euoluere globum*, eodem modo quo Seneca *fluctus euolutos* dixit, Hercule Oetæo, Act. III.

Vtque euolutos frangit Ionio ſalo
Oppoſita Leucas fluctus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT XII.

Claudianus emendatus. Auſpicia olim ex acclamationibus ſumpta. In eiuſdem Poëtæ locum coniectura.

APud Claudianum in IV. Conſulat. Honorij, Verſu 610. ſic legitur:

Adſpice, mox lætum ſonuit clamore tribunal
Te faſtos ineunte quater.

Abrupta nimis hæc ſententia eſt, nec tamen cuiuis facilè de mendo videatur ſuſpecta. At ego non dubito, quin pro *adſpice* legendum, *auſpice* hoc modo:

Auſpice mox lætum ſonuit clamore tribunal.

Auſpex clamor, hic dicitur, quod ex illo totius anni auſpicium caperent. Sic alibi,

—— lætiſque Quirites
Vocibus auſpicium certi plauſere triumphi.

Amat hâc locutionem Claudianus. Vnde VI. Conſ. Honorij, illi *Auſpex victoria* dicitur:

Quem domitis auſpex peperit Victoria bellis.

Sic in Epiſtola ad Serenam *auſpex purpura*:

Atque vtinam ſub luce tui contingeret oris
Coniugis in caſtris & ſolio generi
Optatum celebrare diem! me iungeret auſpex
Purpura: me ſancto cingeret aula choro.

Pacatus in Panegyr. *De te igitur mihi ſermonis huius auſpicium erit ille felicitatis publicæ auſpex dies, qui te primus inaugurauit imperio.*

Porrò de Acclamationibus quæ Imperatoribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

&Consulibus fiebant in curiâ à Senatu, vide eruditissimum Casaubonum ad Historiæ Augustæ scriptores.

Paulò antè, vbi Consulem in Sella curuli famulorum humeris gestatum describit Claudianus, sic vulgò legitur, Versu 573.

——sic numina Memphis
In vulgus proferre solet: penetralibus exit
Effigies, breuis illa quidem, sed plurimus infrà
Liniger imposita suspirans veste sacerdos
Testatur sudore Deum.

Quid est quod penultimo versu sacerdotes, *imposita veste* suspirasse ait? An illa maxima oneris pars? Scio esse qui *lectum* intelligāt, in quo simulachrum depositum: sed fortè pro *veste*, rectiùs *vecte*, legendum minimâ mutatione, & consequenter *imposito*, mutato genere:

——imposito suspirans vecte sacerdos
Testatur sudore Deum.

Vectis enim propriè palus ligneus quo onera attolluntur. Sic Consulat. Manlij dixit:

——penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat vndas.

Ait ergo Claudianus sacerdotes Ægyptios impositis humero huiusmodi vectibus, Deos suos in publicum protulisse, eodem penè modò quo Romani olim in lecticis à seruis gestabantur. Verba quæ proximè præcedunt, hanc emendationem videntur adstruere, vbi sic de Honorio:

Atque inter niueas altè veherêre cohortes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Obnixisque simul pubes electa lacertis
Sidereum gestaret onus.

Non multum tamen de hac coniecturâ pertendo, eò quod Claudianus ad longas sacerdotum Ægyptiorum vestes respexisse potuerit, qui passim *linigeri*, appellantur. Deinde etiam *vestis Consularis*, cum quâ hic comparatio instituta est, magno vnionum gemmarumque intertextarum pondere grauior reddebatur. Vnde mox subiungit Claudianus;

Portatur iuuenum ceruicibus aurea sedes,
Ornatuque nouo grauior Deus: asperat Indus
Velamenta lapis, pretiosaque fila smaragdis
Ducta virent: Amethystus inest, & fulgor Iberus
Temperat arcanis Hyacinthi cærula flammis.

CAPVT XIII.

Fragmentum Ciceronis è libris de Repub. sæpiùs ab Ausonio expressum.

ELegantissimum fragmentum ex aureolis illis M. Tullij de Republ. Dialogis, nobis seruauit Seruius, eruditissimus Grammaticus, ad illud Maronis:

Nec puer Iliacâ quisquam de gente, Latinos
In tantum spe tollet auos.

Ita enim ille ad hunc versum: Rhetoricè *spem* lau- "
dat in puero, quia facta non inuenit. Est autem Ci- "
ceronis in Dialogo: *Fanni, causa difficilis laudare pue-* "
rum, non enim RES *laudanda, sed* SPES *est.* Hoc Ci- "

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ceronis dictum adeo placuit Ausonio Poëtæ, doctissimo, vt sæpius illud versibus suis expresserit. Vnde in Parentalibus Epigr. XII. Ad Pastorem Nepotem ex filio:

Tu quoque maturos puer immature dolores
Irrumpis, mœsti luctus acerbus aui.
Pastor chare nepos, SPES *cuius certa fuit* RES,
Hesperij patris tertia progenies.

Idem in Professoribus, ad Alethium Mineruium filium.

O flos Iuuenum,
SPES *læta patris:*
Nec certa tuæ
Data RES *patriæ.*

Idem in Protreptico ad Nepotem:

Tu senium quodcunque super labentibus annis
Fata dabunt, qui nomen aui geris, indole prima
Prime nepos vel RE, *vel* SPE *mihi porge fruendum.*

Adde locum ex fine nolum:

Existimo autem Ciceronem hanc sententiam suam ex Aristotele primùm expressisse. Ille enim I. Ethicor. Nicomach. Cap. IX. Asserit pueros spe tantùm felices dici posse, quod scilicet nullam etiamnum honestam actionem edere possint. Eius verba sunt: Οὐδὲ παῖς εὐδαίμων ἐστίν. οὔπω γὰρ πρακτικὸς τῶν τοιούτων διὰ τὴν ἡλικίαν. οἱ δὲ λεγόμενοι, διὰ τὴν ἐλπίδα μακαρίζονται. Id est: *Nec puer quidem felix est. Nondum est enim ad agenda talia idoneus propter ætatem. Qui verò dicuntur felices, propter* SPEM *dicuntur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT XIV.

Manilius de topiarijs veterum explicatus aduersus sententiam viri magni.

LVculentissimi versus sunt Manilij nostri, quibus oriente Coronâ cum Virgine botanicos, & hortulanos nasci ait, qui corollas plectant, arboresque excolant: Locus ita habet:

Iam subit Erigone, quæ quum ter quinque feretur
Partibus ereptis ponto, tollentur ab vndis
Clara Ariadneæ quondam monumenta coronæ,
Et molles tribuent artes: hinc dona puellæ
Nempe nitent; illinc oriens est ipsa puella.
Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum,
Pallentes violas, & purpureos hyacinthos,
Liliaque & Tyrias imitata papauera luces
Cæruleum folijs viridi quin gramine collem
Conseret, & veris depinget prata figuris:
Aut varios nectet flores, sertisque locabit
Effingetque suum similes, &c.

In postremo hemistichio difficultas est. Quid enim enim est, *flores effingere suum similes?* Ios. Scaliger „ ita explicat: *Effinget suum similes*, id est, *suorum simi-* „ *les flores. Suorum florum Coronæ*, est Idiotismus Ma- „ nilianus, vt alibi loquitur: *ab ipso, ad ipsum*, hoc est, „ *à seipso, ad seipsum*. Sic hîc *suorum florum*, est ipsius Co- „ ronæ florum. Sensus ergo totius loci est: Effinget „ flores sertis cuiusmodi flores habet Corona ipsa „

„ Ariadnæ. Omnino *effinget similes suorum coronæ flo-*
„ *rum*, vt Manilianè loquar. Hactenus Scaligeri verba, ex quibus colligit lector in quot partes se torqueat vir ille summus, vt hunc locum explicet, à cuius sensu tamen procul aberrauit. Neque enim τὸ *suum*, hîc Pronomen est, vt ille existimauit, sed genitiuus pluralis à *sus*, *suis*. Describit enim hîc Manilius hortulanum qui opera topiaria faciat, arboresque ac flores in varias belluarum, puta, Aprorum, Leonũ, Vrsorum, &c. formas flectat. qui topiariorum mos antiquitus erat. Firmicus de iis qui Oriente Cratere nascuntur: *Qui buxeas arbores tondens in belluas fingat.* Plinius Iunior lib. v. Epistolâ vi. quâ Tusculanum, villam suam describit: *Ante porticum*, inquit, *xystus concisus in plurimas species, distinctusque buxo: demissus inde pronusque puluinus cui bestiarum effigies inuicem aduersas buxus inscripsit.* Quin etiam *litteras* effingebant ex arboribus floribusque connexis. Plinius paulò pòst in eadem epistolâ: *Alibi pratulum, alibi ipsa buxus interuenit in formas mille descripta, litteris interdum, quæ modo nomen domini dicunt modo artificis: alternis metulæ surgunt, alternis inserta sunt poma, & in opere vrbanissimo subita velut illati ruris imitatio medium in spatium breuioribus vtrimque platanis adornatur. Post has acanthus hinc inde lubricus & flexuosus, deinde plures figuræ, pluraque nomina.*

Itaque, *flores suum similes effingere*, est, in formã suũ siue aprorum flectere. *Sues* namque tametsi potissimum porcos villaticos seu cicures denotent, sæpè tamen etiam apud probatos auctores pro feris &

agrestibus ponuntur. Sic Statius IX. Thebaid. de aprinis dentibus:

Armaque curua suum, & vacuorum terga leonum.

Et IX. Thebaid.

Fulminei sic dente sues, sic hispida turpes
Prælia villosis ineunt complexibus vrsi.

CAPVT XV.

Vacuum tempus. *Vulgata Lucretij lectio defensa contra Lambinum, & explicata contra Gifanium.*

INgeniosè Martianus in suâ de Nuptiis Philologiæ & Mercurij Satyrâ, Philologiæ pedissequam facit Periergiam. Quoties enim videre est à viris etiam litteratissimis sanos auctorũ locos frustrà inuerti & sollicitari? Lucretius lib. 2. non procul initio, vbi de Animi tranquillitate agitur, sic scripserat:

His tibi cum rebus, timefacto relligiones
Effugiunt animo pauidæ, mortisque timores,
Tum vacuum tempus linquunt, curâque solutum.

Lambinus autem in postremo versu, pro *vacuum tempus*, contra omnes veteres codices, *vacuum pectus* substituit. Gifanius verò vulgatam lectionem quidem retinet, sed ait *tempus* hîc antiquè positum pro *tempora*, seu *caput*. Et hoc in Collectaneis suis ad hunc auctorem probare nititur. Itaque existimat Lucretium hîc *vacuum à curis caput* innuere. Quid opus tam longè petitis interpretationibus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Simplicissima & vulgatissima Temporis notio huic loco optimè conuenit. *Vacuum* enim *Tempus* vocat Lucretius *vitam ab omni cura remotam.* Ita Cicero ad Q. fratrem: *Quod mihi tempus, Romæ præsertim, vt iste me rogat manenti, vacuum ostenditur?*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127



CASPERII GEVARTII

ELECTORVM

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Manilij locus à Ios. Scaligero depositus, correctus & explicatus.



VBI ſunt modò qui totum hoc Criticum ſtudium vanum & otioſum eſſe iactitant, ac poſſe quélibet modò leuiter litteris tinctũ menda illa obſeruare & corrigere, quæ in nobiliſſima veterum ſcriptorũ monumenta præcedentium temporũ incuriâ irrepſerunt? Oſtẽdimus iam ſuperiori libro non ſemel, & hoc Capite oſtenſuri ſumus etiam ſummos viros nõ dictionis aut ſyllabæ, ſed & litterulæ vnius vitio grauiſſimè in bonorum auctorũ lectione hallucinatos. Manilius ecce libro v. poſtquàm oriente cum Aquario Caſſiopeâ, aurifabros, bracteatores, & aurilegulos naſci dixit, ita in Matronarum Romanarum luxum, mundumque muliebrem inuehitur:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Hinc lenocinium formæ, cultuſque repertus
Corporis, atque auro quæſita eſt gratia frontis:
Perque caput ducti lapides, per colla manuſque,
Et pedibus niueis fulſerunt aurea vincla.
* *Quid potius matrona velit tractare creatos*
* *Quam factum reuocare ſuos quod poßit ad vſus?*

Duos illos poſteriores verſus obſcuriſſimos eſſe, vel ex ſolis aſteriſcis apparet, quos vir Incomparabilis Ioſ. Scaliger eis appinxit. In priori tamen editione pro *creatos* legendum putabat *creatum*, hoc modo:

Quid potius matrona velit tractare creatum,
Quàm factum, &c.

Et exiſtimabat opponi à Manilio duo illa: *creatum* & *factum*, totumque locum ita explicabat: *Quid eſt quo creato potius quàm facto vti velit matrona ad ornatum?* quaſi hoc velit Poëta: *Matrona non tã manibus verſare gemmam ita vti à natura ipſa edita eſt, mauult, quàm ab artifice auro incluſam geſtare.* Franciſcus verò Iunius non *creatum*, ſed *creatos* ex manuſcript. retinendum cenſet, aitque Manilium opponere *creatos vſus* & *ſuos vſus*. *Suos vſus*, inquit, *appellamus iuſtos qui ex rerum naturâ, conditione & modo adhibentur*: Creatos, *qui præterea accerſuntur, abundantque re & modo, &c.* Hi ſunt eruditiſſimorum virorum, & cæteroqui acie mẽtis occultiſſima quæque perſpicientium de hoc loco explicando conatus. Quæ omnia, (vt verbo dicam) omnino præter rem ſunt, neque hilum Manilij mentem tangunt. Vnde ipſe Scaliger in poſtremâ huius Poëtæ editione hanc interpretationem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

tionem ſuam damnans, duos hoſce poſtremos verſus ſpurios eſſe exiſtimat, nullamque idoneam ſententiam ex illis elici poſſe aſſerit. Hanc enim Notam in ſuis Commentarijs, illis addidit: *Portentoſè hi duo verſus deformati ſunt. Non videntur eſſe Manilij. Nemo ſanus ex iſtis bonam ſententiam eruerit.* Hæc tanti viri de hoc loco conclamatio, quem non è plebe medicum deterreat? Ego, licet cum Chryſalo illo Plautino dicar *inſanum magnum moliri negotium*, non tamen deterrebor. Vide, imo ride, mi lector, fluctus in ſimpulo concitati ſunt, non in mari. Vnica tantum litterula abundat: Pro *factum*, lege *fatum*, & res clara erit, hoc modo:

Quid potius matrona velit tractare creatos,
Quàm fatum reuocare ſuos quod poſſit ad vſus?

Senſus verborum hic eſt: Ecquodnam fatum eſt quod matrona potius optet tractare creatos ex ſe liberos, quàm illud quod ad ſuos vſus poſſit reuocare? Quaſi dicat: Omnes matronæ Romanæ optarent filios ſuos naſci ſub hac conſtellatione, vt ita fato ſuo ad aurifabrorum opificium exercendum deſtinarentur, & matribus ſuis in monilibus gemmiſque expoliendis inſeruirent. Hic totius loci ſenſus eſt. Nunc ſingula expendamus: *Creatos* abſolutè vocauit liberos, qui ſub tali ſigno naſcuntur. Ita ſemper loqui amat Manilius. Suprà de Ophiucho oriente cum Capricorno:

Non inimica facit ſerpentum membra creatis.

Lib. 2.

——meliuſque Leone

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Prosequitur genitos, & te Centaure creatos.

Lib. 4. vbi sub Cancro natos cœcos fore ait:

Lumina deficient ortos, geminamque creatis
Mortem fata dabunt.

Lib. 5. de Procyone:

Venatus non ille quidem, verum arma creatis
Venandi tribuit, &c.

Fatum tractare, est artificium exercere ad quod fato quis est destinatus. Infinitis locis ita loquitur Manilius, *fatumque* vsurpat pro eo vitæ genere ad quod astra hominem impellunt.

Lib. 2. de Cœlo agens:

—— tamen vt vitas & fata ministret
Gentibus, & proprios per singula corpora mores.

Lib. 1.

—— primique per artem
Sideribus vidêre vagis pendentia Fata.

Lib. 3.

Fata quoque & vitas hominum suspendit ab astris,
Quæ summas operum partes, quæ lucis honorem,
Quæ famam assererent. &c.

Sed huiusmodi locutiones in Manilio quærere, est conchas colligere in littore. Qui totum locũ maturè considerauerit, de emendatione nostra non ambiget.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT II.

Assa vox *quid? eius etymon contra Turnebi sententiam allatum.*

TRitum est *assam vocem* eam dici quæ sola absque vllis instrumentis adhibitis profertur. Vnde Asconius: *Solebat cani remigibus celeusma per symphoniacos & per assam vocem, id est ore prolatam, vt & in Argo naui per cytharam.* Eruditissimus autem Turnebus XXIV. Aduersar. Cap. XXII. etymon huius vocis adfert, aitque *assam* dictam eo quod semper illa nobis *aßit*, contrà quam vox organica. Eius verba sunt: *Assa vox humana est non organica, quod ea nobis semper assit, non vt organica quæ non est nobis semper præsto.* Equidem tametsi plurimum eius viri auctoritati semper detulerim, quominus tamen in hac vocis originatione illi assentiar, facit Nonius, qui ait *assum* veteribus dictum esse quicquid sine condimento & iure mensæ apponebatur. *Assum*, inquit, *existimandum est, vt in opsoniis sine pigmento saporis alieni, quemadmodum merum dicitur solum.* Hæc Nonius. Vnde patet *assum* esse in esculentis, quod *merum* est in poculentis. Et hoc sensu, amicus noster Dan. Heinsius, vir natus in gloriam nostri æui, accepit illum Horatij locum:

—— *& quibus aßis*
Languidus in cubitum sese conuiua reponat.

Hinc luce acceptâ, aio *vocem assam* è culinâ fluxisse,

Vide Yuone Vill: lib. co. cap. 10. Tit. Loc. controu. lib. co. cap. 17. et Assert. lib. co. cap. 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

& quemadmodum cibi ſine condimentorum admixtione appoſiti, *aßi* dicebantur, ita etiam *vocem* ſolam ſine aliorum inſtrumentorum quaſi condimento prolatam, *aſſam* eſſe appellatam.

Ex hoc etymo ſatis patet etiam in hoc falſum eſſe Turnebum quod *vocem aſſam* Humanam tantum eſſe dicat, non autem organicam, nam etiam cantus tibiarum, modo ſine aliis inſtrumentis, puta teſtudine aut cytharâ, adhibitis proferatur, etiam *Aſſus* dici poteſt. Feſtus. *Aſſa, cantus tibiarum.* Quæ verba fruſtrà corrupta eſſe arbitratur Ant. Auguſtinus. Nam & Seruius alicubi *aſſas tibias* dictas eſſe ait, *quibus canitur ſine chori voce.* Atqui *tibia*, organica vox. Nihilominus tamen negandum non eſt, *aſſam vocem*, quamuis ex etymi ratione, de quibuſuis aliis vocibus modo ſolæ proferantur dici poſſit, de *humanâ* tamen potiſſimum eſſe intelligendam. Vnde Nonius ibidem: *Aſſa vòce, ſola voce, linguæ tantum modo aut vocis humanæ non admixtis aliis muſicis eſſe voluerunt.* Varro de Vitâ Pop. Rom. *In conuiuiis*, inquit, *pueri modeſti cantabant carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, & aßâ voce & cum tibicine.* Idem de liberis educandis: *Melos alterum in cantibus eſt bipartitum, vnum quod eſt in aßâ voce, alterum quod vocant organicum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT III.

Senecæ locus à Mureti & Lipsij correctione defensus.
Extra metum, *quid Senecæ?*

NOn eos tantum de bonis litteris benè mereri existimandum est, qui corrupta veterum auctorum loca sagaci coniecturâ ducti, aut veterum codicum ope adiuti emendant, ac nitori suo restituunt, sed & eos qui sana illorum verba ab aliis frustra sollicitata nec intellecta, defēdunt atque explicant. Id modò in parte hic à nobis præstabitur in quodam Senecæ loco variè hactenus à viris doctis accepto. Verba illius sunt lib. IV. de Benef. Cap. XIX. *Tu denique Epicure Deum inermem facis: omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam: & ne cuiquam metuendus esset, proiecisti illum extra metum.* M. Anton. Muretus in Notis suis ad hunc locum, ait ineptè hîc legi *extra metum,* ideoque in editione sua substituit *extra mundum,* & de Epicureorum spatiis vltra mundanis locū accipit. Lipsius verò II. Elector. Cap. IX. propius ad priscā scripturam accedens, malebat *extra metam,* hoc est, inquit, *extrà limitem & mundi hoc spatium.* Cæterum mihi bonum factum videtur priscam lectionē intactam seruare. Nam *extra metum* idem hîc est quod *extra terminos nostri metus.* Epicurus (vt omnibus constat) asserebat Diis non esse curam rerum humanarum: quid ni ergò merito etiam *extra impiorum metum* esse dicantur? Locutio Senecæ familia-

A ddi notata in fine uolum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ris fefellit viros doctos. Nam & Epist. xxx. eodem modo dixit. *Mors adeo extrà omne malũ est, vt sit extra omnem malorum metum.* Et lib. de Constant. sapientis: *Multum autem interest vtrum sapientem extra indignationem, an extra iniuriam ponas.*

CAPVT IV.

De verbo Dissicere, *accurata Cl. Puteani obseruatio. Lactantius, Virgilius, Cicero, Val. Maximus, Plautus, aliique auctores in eodem verbo emendati.*

ELegans verbum est *Dißicio*, magistellis quidem vulgò ignotum; scio, sed quod in vetustissimis & optimæ notæ membranis incorruptum agnoscitur, cùm in vulgatis omnium penè auctorum exemplaribus in *disiicio* degenerarit. Sic in Papinio nostro I. Thebaid. de Apollinis filio à canibus discerpto ita vulgò legitur.

Proiectum temerè & patulo cœlum ore trahentem
Dira canum rabies morsu depacta cruento
Disiicit.

At in M.S. eleganter, mutatâ litterulâ *Dißicit*, hoc est, in varias partes discindit ac dissecat. De hoc verbo accurata collectanea apud Amplissimum Virum Claud. Puteanum Consiliarum Regium, olim se vidisse ait Pet. Coluius in suis ad Apuleium Notis. Quę cùm ego inter τοῦ μακαρείτου scedas etiamnùm ἀνέκδοτα latere comperissem, facile à Clarissimo Viro Pet. Puteano Cl. F. impetraui vt illa hisce Miscel-

laneorũ nostrorum libris interseri, ac publici iuris fieri permitteret. De hoc itaque verbo ille in hunc modum:

Verbũ *Dißicere*, exsulat hodiè à lingua Latina, & bonorum auctorum libris: Id quidem viri nõnulli eruditi asserere & vindicare conati sunt, sed nihilominus in squallore & peregrinitate iacet; quia necdum eius originem & vim quisquam explicauit. Ego existimo, *dißicere*, propriè idem valere, quod *dissecare*: nam & in aliis compositis verbi *Seco*, *e* mutatur in *i*, vt in *proficor*, quo vtitur Plautus in Pœnul. *Iratus vetui exta proficarier*: & *proficies* apud Varron. lib. XI. Rerum diuin. referente Nonio *Profecta*. *Proficiæ* apud Solinum & in veteribus glossis Latinogræcis. *Proficium* apud Festum; & *præficiæ* in Arnob. lib. 7. Sic & *inficia* apud Varron. lib. 4. de Linguâ Lat. & *subficiuus*, nam ita in vetustis libris perpetuò scribitur: & *exficare* apud Plautum Ruden. *Quin tu in paludem is, exficasque harundinem*; Sic vet. codices habere Hadr. Turnebus monuit, quod perperam à quibusdam immutatum fuerat. Multa autem concurrunt, quibus in hanc opinionem adducar. In veteri Lexico manu exarato, quod penes me habeo, quo loco de verbo, *seco*, agitur, eiusque deriuatis & compositis, sic scriptum reperi; *Disseco, as*, *inde dissectus vel dissecatus, & dissectim aduerbium, & dißicio, is.* Et in litera D. *Dißicere, dissecare.* Quia verò huiusmodi Lexicis non multum existimo tribuendum esse, scioque quàm plurima in iis esse inepta & absurda; testis accedat locuples, omnique exceptione maior Pris-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

cianus, qui libro XIV. extremo, vbi de, *dis*, præpositione agit, docetque quibus ea litteris in compositione præponitur; *Sciendum*, inquit, *quòd tunc*, Dis, *præponitur, cùm ſequitur* c. *vel* f. *vel* p. *vel* ſ. *vel* t. *vel* i. *loco conſonantis, vt diſcumbo, diſcutio; differo, diffido, diffundo, in quibus* ſ. *in* f. *conuertitur euphoniæ cauſſa, diſpliceo, diſputo, diſperdo; diſsicio, diſſero; diſtraho, diſturbo, diſtorqueo; dilectus, diſiungo.* Ita legendum & litterarum ordo, & manuſcriptorum codicum auctoritas euincit, quorum plerique habent, *diſsitio*, quam etiam ſcripturam reperi in veteri quadam editione Veneta: duo autem omnium optimi *diſsicio*, ſupra quam vocem in vno, *diſſeco*, ſcriptum eſt. Sed omnem ſcrupulum eximit Lactantius, qui libro II. cap. VIII. narrans notam illam & multorum ſcriptis celebratam de Tarquinio Priſco, & Attio Nauio augure hiſtoriam ita ſcribit; *Cape igitur hanc*, inquit, *cotem, eamque nouacula diſsice. At ille incunctanter accepit, ac ſecuit.* Sic omnes lib. vet. Vulgati partim *diſiice*, partim *diſſeca.* Cicero hanc ipſam rem narrans dicit, *præcidere*; Liuius, *diſcindere.* Idem lib. 3. ca. 17. vbi aduerſus Epicuri atomos diſputat; *Cùm verò*, inquit, *tam minuta hæc corpuſcula eſſe dicantur, vt nulla ferri acie diſsici valeāt, quomodo hamos aut angulos habent?* Sic libri vet. impreſſi autem, *diſiici.* Atque idem auctor in lib. de ira Dei cap. x. de illis corpuſculis ita ſcribit; *Tam minuta ſunt*, inquit, *vt nulla ſit acies ferri tam ſubtilis, qua ſecari ac diuidi poßint.* Illo loco dixit, *diſsici*, hoc, *ſecari ac diuidi.*

Cùm de huius verbi ſignificatione conſtet, iam locos quoſdam indicabo, in quibus ex antiquis monumentis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

numentis, aut ex coniecturâ quaſi poſtliminio collocandum videtur.

Virgilius lib. VII. Æneid.

Diſsice compoſitam pacem, ſere crimina belli.
ita eſſe in omnibus antiquis codicibus Pierius teſtatur; ita etiam eſt in omnibus quotquot vidi: quã-quam ille fallitur, dum putat, *diſsice*, pro, *diſice*, ſ. geminato ſcriptum eſſe ea ratione, vt concitatius enuntiaretur; quod in aliis pleriſque vocibus à veteribus factitatum eſt.

Idem libro XII. ——— *ille ſecuri*
Aduerſi frontem mediam mentumque reducta
Diſsicit, & ſparſo latè rigat arma cruore.
Sic libri vet. omnes, quorum nonnulli in interſtitio ſupra eam vocem habent, id eſt, *diuidit*, in vulg. eſt, *Diſncit.*

Reponenda quoque eſt hæc vox apud Valerium Max. duobus locis. Vnus eſt lib. III. cap. *Qui à parentibus claris degenerauerunt*: in quo de Q. Fabij Maximi filio cui bonis à Pr. vrbano interdictum fuerat, ita ſcribit; *Dolenter enim homines ferebant pecuniam, quæ Fabiæ gentis ſplendori ſeruire debebat, flagitiis diſsici.* Sic ſcriptum reperi in duobus antiquiſſimis & optimis exemplaribus; ſic in ſuis Gifanius & Pighius: quamquam neuter verbi originem & vim explicauit. Vſurpauit autem *pecuniam diſsicere*, eadem tranſlatione, qua Catullus in Cæſarem, *Paterna primùm lancinata ſunt bona.* & Plautus in Sti. *lacerare rem ſuã:* quod idem genus loquendi Salluſtius vſurpauit in cõiurat. Catil. *Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo; a-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

lea, manu, ventre, pene, bona patria lacerauerat. Sic ferè libri vet. nam vulgò legitur, *dißipauerat.* Atque hic Valerij locus me induxit ad conatum emendandi locum veteris poëtæ apud Ciceronem in Orat. pro M. Cœlio, quo loco patres ex Comœdiis excitat. Apud eum igitur Comicum (Cæciliũ fortasse) pater vehemens & durus filium dissolutum & perditum his obiurgat verbis, *Cur te in istam vicinitatem meretriciam contulisti? cur illecebris cognitis non refugisti? cur alienam vllam mulierem nosti? dede te ac disiice; per me licebit: si egebis, tibi dolebit: mihi sat est, qui ætatis quod reliquum est oblectem meæ.* Quæ postrema verba etsi bonam sententiam habere videantur, ea tamen vti corrupta existimem adducor ex eo, quod in vetustis lib. aliter concepta sint; in hunc nempe modum; *dede ac disce:* vnde coniicio legendum, *dede, ac dißice,* id est, rem tuam dona ac dissipa, disperde, profunde. *Dedere* autem pro *dare* à Plauto, Terentio, Lucretio, aliisque antiquis auctoribus vsurpatum est. Hanc verò coniecturam ea quæ statim sequuntur adiuuare videntur, *si egebis, tibi dolebit,* &c. sic ferè Demea Terentianus tristis & directus pater de Æschino filio cum Mitione leni & clemente iurgat; *Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.* Adelf. act. 1. sc. 2.

Alter Valerij Max. locus est lib. 8. cap. 14. de cupiditate gloriæ; *Illa verò,* inquit, *gloriæ cupiditas sacrilega: inuentus est enim, qui Dianæ Ephesiæ templum incendere vellet, vt opere pulcerrimo consumpto nomen eius per totum terrarum orbem dißiceretur,* &c. Sic in duobus illis opt. exemplar. scriptum est; pro quo editiones

omnes quotquot videre mihi contigit, habent *dif-fundereturs*; præter Moguntinā anni Dom. CIↃ.CCCC. LXXI. quæ & hîc & aliis in locis propius ad librorū manu exaratorum ſcripturam accedit: In ea autem legitur, *diſiceretur*. *Diſsici* autem *nomen* dixit eadem ferè tranſlatione, qua Virgilius lib. 8. Æneid.

—— tua terris didita fama.

i *diſsipari*, vel *diſpergi*. Nam in ea ſignificatione verbum iſtud à veteribus vſurpatum fuiſſe, argumento eſt locus Iſidori lib. 18. vbi de triumphis diſſerit: *Duobus autem generibus*, inquit ille, *deletur exercitus, aut internicione, aut diſperſione. Salluſtius, Hoſtes*, inquit, *oppreſsi aut dilapſi forent. Sic & vtrumque Virgilius, de internicione, --ſubmerſaſq. obrue puppes. De diſperſione,*

Aut age diuerſos, & diſsice corpora ponto. Quem locū deſcripſi ex cod. manuſcriptis, in quorū vno ſupra *& diſsice*, ſcriptū eſt, id eſt, *diſsipa*: nā in vulgatis paulò aliter legitur. Ex quo apparet Iſidorum apud Virgiliū legiſſe, *diſsice*; quā etiam lectionem agnoſcunt veteres libri, cui tamen vulgatam, *diſiice*, antepoſuerim; præſertim cùm aliquot poſt verſibus dicat, *Diſiectam Aeneæ toto videt æquore claſſem.*

Reddenda quoque eſt vox iſta Plauto in Curcul. act. 3. *Clipeatus elephantum vbi machæra diſsicit.* Sic eſt in veteribus editionibus, ſic ferè in ſuo vet. codice Camerarius eſſe teſtatur: atque ita planè legendum puto; quamuis Feſti & Nonij auctoritas refragari videatur. Hic enim ita ſcribit, *Diligere manifeſtam habet ſignificationem vt plerumque: Diligit, diuidit. Plautus Curcul. Clipeatus elephantum ibi machæra diligit.* quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

lectio inde recẽtiores Plauti editiones inuasit. Festus autem, *Dirigere*, inquit, *apud Plautũ inuenitur pro discindere*: ita puto leg. pro *discedere*, quomodo etiam hic locus adducitur à Camerario. Sed vtriusque tamen libri vereor vt nõ satis emẽdati sint; atq; vt id verear facit, quòd locus ille Nonij in vet. impressis sic vulgatus est; *Disiicere manifestã habet significationẽ: ac plerũque diligit, diuidit. Plautus Curcul. Clipeatus elephantũ ibi machæra disiicit*. quod me monuit. Io. Passeratius: atque hoc etiam, illud Nonij *Rumpere*; *Rumpere disiicere*. *Virg. Buc.*

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis:

sic in vet. cod. scriptũ exstare, *Rumpere, dissicere*, &c.

Sed & Ouidius XI. metamorph. hac voce vsus est, de Halcyone Ceycis vxore:

—— & nondum totos ornata capillos
Dissicit hoc ipsos, collóque infusa mariti, &c.

nam ita veteres suos libros habere Gifanius testatur: quomodo etiam in iis quos vidi scriptum est, præterquàm in vno, in quò, *Dissicat*, legitur: atque idem libro V. de Cerere,

—— inornatos laniauit Diua capillos.

Seneca in Agamemnone actu 5. inducit Cassandrã de Agamemnone, qui tum occidebatur capite veste obuoluto, hæc dicentem:

At ille, vt altis hispidus siluis aper
Cùm casse vinctus, tentat egressus tamen,
Arctátque motu vincla & incassum furit,
Cupit fluentes vndique & cæcos sinus
Dissicere, & hostem quærit implicitus suum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ſic lib. veteres, pro quo impreſſi *diſiicere:* de qua re à N. Fabro admonitus fui.

Sed & in Valerio Flacco libro 3. Argonaut. hæc vox reponenda eſt:

——*ſocia ſed diſsicit agmina claua.*

ita libros manuſcr. habere, viri docti teſtantur, quanquam non intellexerunt, aut non ſaltem explicarunt. vulgò *diſiicit.*

Et in Prudentio duobus locis: hymno 1. καθημερινῶν extremo, *Tu, Chriſte, ſomnum diſsice.* ita liber ſcriptus optimus, ad cuius oram adnotatum eſt. i. *diſsipa, diſperge ſeu diſcute.* Alter locus eſt in hymno de Laurentio περὶ στεφάνων.

Cùm membra morbus diſsicit.

ita v. l. quod etiam Gifanius indicauit: excuſi partim *diſiicit*, partim *diſſecat.*

Id pæne oblitus fuerã, illud Næuij Gymnaſtico, *Saxa, ſiluas, lapides, montes diſiicis, diſpulueras.* ſic in vet. cod. ſcriptũ eſſe, *montes diſsicis, diſpulueras.* apud Non. *diſpuluerare.* Atque hoc Mẽmius v. c. mihi indicauit.

His addẽdus eſt locus Feſti Auieni in libro de deſcriptione orbis terræ, in quo hæc vox integra remanſit. ——*ſic Elidis incola pontum*

Diſsicit Alpheus, pelago ſic inſerit vndas

Illæſum optatæ flumen ducens Arethuſæ.

Et locus Sidonij Apollinaris in panegyr. dicto Maioriano A. ——*pars poplite ſecto*

Mortis ad inuidiam viuit; partẽmque cerebri

Hic galeæ cum parte rapit, fortique lacerto

Diſsicit ancipiti miſerabile ſinciput enſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Sic habent priores illius auctoris editiones.

Hæc de Vſu & origine huius verbi vir ille magnus, quibus adde ea, Lector, quæ Giſanius attulit in accuratiſſimo ad Lucretium Indice.

CAPVT V.

Manilij obſcurior locus ex Claudiano illuſtratus.
Peſtis *quid Manilio?*

DVM noſtras in Maniliũ obſeruationes adornamus, hoc Capite egregium eius Poëtæ locum variè ab interpretibus ſollicitatum è Claudiano emendabimus.

Lib. I. in Sphærâ ſua, *Perſei* & *Andromedæ* aſtrotheſiam his verſibus deſcribit, vbi *Equum* in eâ finiri dixit:

Et finitur in Andromeda, quam Perſeus armis
Excipit, & ſociat ſibi: cui ſuccedit iniquo
Diuiſum ſpatio, quoi tertia lampada diſpar;
Conſpicitur paribus, Deltoton nomine ſydus,
Ex ſimili dictum. Cepheúſque & Caßiepea
In pœnas ſignata ſuas: iuxtáque relictam
Andromedam vaſtos metuentem piſcis hiatus
Expoſitam ponto deflet, ſcopuliſque reuinctam
Ni veterem Perſeus cælo quoque ſeruet amorem,
Auxilióque iuuet, fugiendaque Gorgonis ora
Suſtineat ſpoliúmque ſibi, teſtémque videnti.

Ioſ. Scaliger in priori huius Poëtæ editione, pro eo quod in poſtremo illo hemiſtichio legitur:

—— *Spoliúmque ſibi, teſtémque videnti.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Legendum putabat:

——*vestemque videnti.*

Et τὰ ἱμάτια Persei intelligebat. In postremâ autem editione ipse se retractans, priscam scripturam retinet, aitque *testem* hîc idem esse quod *præsentem.* Sed neutra harum lectionum mihi satisfacit, & ausim dicere scripsisse Manlium:

——*pestemque videnti.*

Pestem vocat exitium & mortem certissimã, quâ in saxũ vertebantur illi qui Gorgonis caput à Perseo gestatũ aspicerent. Ideo enim signatè dixit *videnti.* Emendationem hanc (vt dixi) ex Claudiano cõfirmabimus, qui in Gigantomachiâ suâ elegantissimè *marmoream pestem* à Gorgone obiectâ induci dixit, vbi Pallantem Terrigenam à Pallade Deâ in saxum mutatum esse canit, his versibus luculentissimis:

——*Tritonia virgo*
Prosilit ostentans rutilâ cum Gorgone pectus,
Aspectu contenta suo, non vtitur hastâ.
Nam satis est vidisse semel: primùmque furentem
Longius in faciem saxi Pallanta reformat.
Ille procul subitis fixus sine vulnere nodis,
Vt se lethifero sensit durescere visu,
Et steterat iam pene lapis; Quo vertimur? inquit,
Quis serpit per membra silex? Quis torpor inertem
Marmoreâ me peste ligat? &c.

Hic ecce in eadem re, eandem locutionem agnoscis, mi lector, nec dubitandum quin Claudianus hunc locum vt plerosque alios è Manlio expresserit. Veteres autem *pestem* simpliciter pro *exitio* & *in-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

teritu quolibet vſurpaſſe clarum eſt ex illo Lucretij:

Diſsidium vt nequeat fieri ſine peſte, maloque

Ad quem locum rectè obſeruauit Giſanius impropriè loqui eos qui hâc voce pro morbo quem veteres conſtanter *peſtilentiam* vocant vtuntur.

Porrò idē Scaliger in præcedentibus illis verbis: --*ſpoliumque ſibi*, exiſtimat, τὸ *ſibi* ἑλληνίζειν, & vt Græci οἱ pro αὐτῷ, ſic Manlium hîc *ſibi* pro *ipſi* dixiſſe. Itaque *ſibi*, hoc eſt, inquit, *ipſi Ceto*. Quaſi velit Mālius Perſeum ipſi Ceto, cuius ante mētionem fecit, ſpolium ſuum geſtaſſe, quo illū ab Andromedâ auerteret. Cæterùm ego contrà, Pronomen hoc in vulgata ſua notione accipiendum exiſtimo, & ad *Perſeum* non ad *Cetum* refero. Mens enim Poëtæ eſt, Perſeum caput Gorgonis à ſe interfectæ geſtaſſe, ſibi quidem in ſpolium & ſignum victoriæ; incautè verò illud aſpicientibus, in mortem certiſſimam & exitium.

CAPVT VI.

Auctor carminis in Hortorum cuſtodem emendatus. Tatius. *Supercilia cur Iunoni olim dicata?* Ἡραῖον βαδίζει.

APVD Poëtam Ityphallicum, in Præfatione ad Lectorem ita vulgò legitur:

Carminis incompti luſus lecture procaces
Conueniens Latio pone ſupercilium.
Non ſoror hoc habitat Phœbi, non Veſta, ſacello,
Nec quæ de patrio vertice nata Dea eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Illo versu:

Conueniens Latio pone supercilium,

seueritatem quādam *Latio* videtur attribuere Poë-ta, quasi illud ab obscœnis lusibus abhorreat. Cæterùm, quî hoc conuenit, cùm contrà potius veteres plerumque *Latinè loqui* vsurpent pro *obscœnè loqui*? Nuperus horum lusuum interpres in Notis suis etiam hanc difficultatem animaduertit, cuius hæc verba sunt: *Quo animo* supercilium, *id est seueritas* La-" tio *conuenire hic dicatur nullus adhuc dispicio, & aliorum* " *esto arbitrari*. Hæc ille. P. Scriuerius V.C. amicus no-" ster, cùm aliàs de hoc loco forte ageremus, leuiculâ mutatione legendum coniiciebat:

Conueniens Tatio pone supercilium.

Quæ sanè emendatio res ipsa est. Nemo ignorat *Tatium* Sabinorum regem seuerissimis fuisse moribus. Vnde etiam Martialis Lib. XI. Epig. CV. in re simili:

Vxor vade foras, aut moribus vtere nostris,
Non ego sum Curius nec Numa, nec Tatius.

Sequentes Poëtæ versus satis emendationem hanc firmant, vbi *Dianam, Vestam* & *Palladem* Virginitatis cultrices Deas enumerat. Vide additionem in fine volum:

Porrò, vt hoc loco Poëta *supercilium* pro *seueritate* ac *fastu* posuit, ita etiam Martialis ad Domitianum:

Terrarum dominum pone supercilium.

Et vetus Poëta in Catalectis:

Esse tibi videor demens quod carmina nolim
Scribere patricio digna supercilio.

Plinius etiam lib. II. Cap. 37. supercilia fastus ac su-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

perbiæ ſedem eſſe docet his verbis: *Supercilia homini & pariter & alternè mobilia, & in iis pars animi: iis negamus, annuimus. Hæc maximè indicant faſtum. ſuperbia alicubi conceptaculum, ſed hîc ſedem habet. In corde naſcitur, huc ſubit, hîc pendet. &c.* Ex his nobis facile erit rationem reddere cur ſupercilia olim Iunoni conſecrata, ac in eius tutela credita fuerint. Varro lib. 4. de Linguâ Latinâ, & ex eo Feſtus, ideo hoc factũ aiunt, *Quod ſuperciliis protegantur oculi per quos luce fruimur, quam tribuere putabant Iunonem, vnde & Lucina dicta eſt.* Hæc illi: quorum rationem etiam ſequuntur, Cælius Rhodigin. lib. 3. cap. 27. Antiq. Lect. Pierius Valerian. Hieroglyth. lib. 33. & Had. Iunius Aduerſ. lib. 4. cap. 12. Mihi tamen hæc ratio nunquam ſatisfacere potuit, & cùm Iuno Dearum. ſuperbiſſima ſemper habita fuerit, malo dicere eã ob cauſã ſupecilia antiquitùs in eius tutela fuiſſe credita, vt ſcilicet ſuperbiæ Reginæ, ſuperbiæ ſedes dedicaretur. ſic Pauo, omnium (ſi Plinio credimus) auium ſuperbiſſima, Iunoni dedicatus eſt. Vnde *Iunonius ales* Ouidio, & *volucris Iunonia* Statio ac Claudiano dicitur.

Quia autem ſuperbia & faſtus ex *Inceſſu* etiam cognoſcitur, ideo Poëtæ Iunonem ſemper inſigni quadam maieſtate incedentem introducunt. Hinc ipſa apud Virgil. 1. Æneid. de Inceſſu ſuo gloriatur:

Aſt ego quæ Diuûm incedo Regina, Iouiſque
Et ſoror & coniux.

Propert. lib. 2. Eleg. 2.

——— & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna ſoror.

Et Homerus Odyss. λ. Iunonem χρυσοπέδιλον, id est, *aureis calceamentis in incessu vtentem* vocat:

Παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.

Hesiodus quoque idipsum Iunoni tribuit Epitheton. Huc etiam spectat Parœmia quæ est apud Athenæum lib.12. Dipnosophist. Ἥραιον βαδίζει. *Iunonio incessu ambulat.* Hunc Deæ incessum etiam forte imitabantur qui eius sacra ferebant. Vnde Horat. Sat. 3. lib. 1.

——sæpe velut qui
Currebat fugiens hostem: persæpe velut qui
Iunonis sacra ferret.

Ex his omnibus satis patet cuncta quæ superbiam & fastum quendam præ se ferebant Iunoni fuisse ascripta. quis ergo dubitet eandem etiam ob causam *supercilia* illi fuisse consecrata?

CAPVT VII.

Claudianus in Manlij Panegyrico emendatus.
Iudices, medij *dicti.*

CLaudianus in elegantissimo illo ac eruditissimo de Fl. Manlij Theodori Consulatu Panegyrico, Manlium suum, virum grauissimum, & Prætorio Præfectum his verbis alloquitur, vt quidem in vulgatis exemplaribus hodie exstant:

Quæ non seditio, quæ non insania vulgi
Te viso lenita cadat? quæ dissona ritu
Barbaries media quam non reuerentia frangat?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Nemo non videt in poſtremo illo verſu:

Barbaries media, &c.

mendum eſſe, vltimamque in τῷ *media* malè pro-duci. In editione Raphelengianâ quam à Ioſepho Scaligero recenſitam ſcimus, locus hic aſteriſco notatus ita legitur:

——— quæ diſſona ritu

** Barbaries Medi, quam non, &c.*

Quaſi de Medorum barbarie agat Poëta. Eruditiſ-ſimus verò Barthius in Notis ſuis legendum putat:

Barbaries, mediam quam non reuerentia frangat?

Cæterùm, ego non dubito quin Claudianus ſcri-pſerit:

——— quæ diſſona ritu

Barbaries, medij quam non reuerentia frangat?

Medij, hoc eſt, *Mediatoris & arbitri.* Reſpexit procul dubio Claudianus more ſuo, ad illud Papinij noſtri 2. Thebaid. vbi Etheocles Tydeum Legatum, à Po-lynice miſſum ſic increpat:

Parcior eloquio & medij reuerentior æqui

Inciperes.

Ad quem locum rectè vetus Interpres Lactantius: *Nihil magis medium eſt quàm Iuſtitia.* Et Ariſtoteles. v. Ethicorum Cap. IV. Iudicem δικαστὴν μέσον appel-lat. ζητοῦσι, inquit, δικαστὴν μέσον, καὶ καλοῦσιν ἔνιοι μεσι-δίους, ὡς ἐὰν τοῦ μέσου τύχωσι, τοῦ δικαίου τευξόμενοι. μέσον ἄρα τι τὸ δίκαιον εἴπερ καὶ ὁ δικαστής. Id eſt. *Quærunt Iudi-cem medium, & appellant nonnulli Medianum, vt iuſtum conſecuturi ſi Medium fuerint conſecuti. Medium igitur quiddam eſt ipſum iuſtum, ſiquidem etiam Iudex.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Et hac notione *Medium* accepit Maro 7. Æneid.

Corpora multa virum circà, seniorque Galesus
Dum paci medium se offert, &c.

Sidonius Carm. XXIII.

Hinc, si fœdera soluerentur orbis,
Pacem, te medio, darent feroces
Hunnus, Sauromates, Getes, Gelonus.

Minutius Felix in Octauio: *Cum dicto assedimus, ita vt me ex tribus medium lateris ambitione protegerent. Nec hoc obsequij fuit aut honoris; sed vt arbiter, & vtrique proximus aures darem, & disceptantes duos medius segregarem.* St. Claucerius, vir eruditus, ac de Claudiano optimè meritus, indicauit mihi in M.S. Cuiacianis sese τὸ *medij* etiam reperisse. Vnde de hac interpretatione nostrâ dubitandum non est.

CAPVT VIII.

Linea pennarum olim in Venatione adhibita. Alæ. *Noua in Marone interpretatio.*

Lib. IV. Æneid. in Oratione Iunonis ad Venerem:

His ego nigrantem commistâ grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, & tonitru cœlum omne ciebo.

Scio Seruium, aliosq; vulgò interpretes illum versum: *Dum trepidant alæ*, &c. de *alâ equitum* capere, quos huic venationi interfuisse postea innuit Maro. Sed quid ni per *alas* hic potius intelligamus lineã

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ex diuersarum auium plumis contextam quâ veteres olim in Venatione ad terrendas feras nemora cingebant? Hanc eleganter describit Aur. Olympius Nemesianus:

Linea quinetiam magnos circundare saltus
Quæ poßit, volucresque metu concludere prædas,
Digerat innexas non vnâ ex alite pennas.
Namque vrsos, magnosque sues, ceruosque fugaces
Terrificant, linique vetant transcendere septum.

Oppianus IV. Halieut.

Μηρίνθῳ στέψαντες ἅπαν δρυός, ἀμφὶ δὲ κούφων
Ορνίθων δήσαντο θοὰ πτερά.

Funiculo cingunt syluam omnem, circaque nectunt
Alituum leuium pennas.

Seneca in Hippolyto:

Picta rubenti linea pennâ
Vano claudat terrore feras.

Linea hæc etiam à veteribus *Formido* dicta. Ipse Maro:

Puniceæve agitant pauidos Formidine pennæ.

Seneca de Ira lib. 2. *Cùm maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat, & in insidias agat, ab ipso effectu dicta Formido.*

Ita capio illud Claudiani de Bello Getico:

Iam non in pecorum morem formidine clausi
Prospicimus sæuos campis ardentibus ignes.

Itaque, si interpretationem nostram sequaris, *alas trepidare*, apud Maronem, est pennas illas à vento leuiter concuti & moueri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT IX.

Latini Pacati locus in Panegyrico emendatus.

APud Latinum Pacatum, ipſo ſtatim initio politiſſimi ad Theodoſium Aug. Panegyrici, ita legitur: *De te igitur mihi ſermonis huius auſpicium* [erit] *ille felicitatis publicæ auſpex dies qui te primus inaugurauit imperio.* In vet. cod. Claud. Puteani V. C. legebatur: *Det igitur mihi ſermonis huius auſpiciũ, ille.* &c. Quod ſanè longè elegantius eſt, ablegato τῷ, *erit*, quod merũ gloſſema eſt, ab indocto librario adiectum.

Sequitur ibidem: *Nam vt diuinis rebus operantes in eam cœli plagam ora conuertimus, à qua lucis exordium eſt; ſic ego vota verborum quæ olim nuncupaueram ſoluturus, id oratione mea tempus afficiam quo Romana lux cœpit.* Poſtremum illud: *id oratione tempus afficiam*, ſine dubio corruptum eſt. Eruditiſſimus Liuineius in Notis ſuis mauult *tempus arripiam.* Sed verius videtur legendum: *tempus aſpiciam.* quod conuenit cum iis verbis quæ Pacatus præmiſerat: *In eam cœli partem ora conuertimus à quâ lucis exordium eſt.*

CAPVT X.

Gautunni, qui apud Vopiſcum?

VOpiſci verba ſũt in Vitâ Probi Imp. *Quum & ex aliis gentibus pleroſque pariter tranſtuliſſet, id eſt,*

ex Gepidis, Gatunnis, & Vandalis, illi omnes fidem fregerunt. Eruditiſſimus Caſaubonus ait nomina hæc in membranis ſuis non parum fuiſſe corrupta. *Gautunnos* autem exiſtimat eſſe, vel *Trutungos*, vel *Virtinguos* de quibus in Vita Claudij, aut certè *Iuthungos.* Cæterùm, an non rectius exiſtimandum *Gautunnos* eſſe Vopiſco qui *Gothunni* appellantur Claudiano, compoſitâ voce ex *Gothis & Hunnis*? De his ille IV. Conſulat. Honorij:

Auſi Danubium quondam tranſnare Gothunni.

Et 2. in Eutrop.

——*Legio pridem Romana Gothunni.*

Facili librariorum vitio potuerũt *Gothunni* in *Gautunnos* degenerare. Sic *Gothalani*, voce ex *Gothis & Alanis* compoſitâ dicti, hodie *Cathaloni* appellantur. ſic pronunciatio variat in his nominibus: *codex, caudex: olla, aula,* &c.

Porrò, vt *Gothunni* dicti ex *Gothis & Hunnis*, ita *Celtiberi* ex *Celtis & Iberis.* quod Silius docet illo verſu:

——*Celtæ miſcentes nomen Iberis.*

Sic etiam *Vindelici* dicti à *Vindone*, & *Lico* fluminibus, nomen inuenerunt, quod Venantius Honorius Fortunatus innuit de *Auguſtâ Vindelicorum* agens:

Pergis ad Auguſtam quam Vindo, Licuſque fluentant.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT XI.

Anacreon illustratus. Mos olim generosorum militum obseruatus.

LEPIDISSIMVS Anacreon vbi suum cum Amore certamen describit, ita canit:

Κἀγὼ λαβὼν ἐπ' ὤμων
Θώρηχ' ὅπως Αχιλλεὺς
Καὶ δοῦρα καὶ βοείην
Εμαρνάμην Ερωτι.
Εβαλλ', ἐγὼ δ' ἔφευγον.
Ως δ' οὐκ ἔτ' εἶχ' οἰστούς,
Ησχαλλεν, εἶθ' ἑαυτὸν
Αφῆκεν εἰς βέλεμνον.
Μέσος δὲ καρδίης μευ
Εδυνε καί μ' ἔλυσε.

id est,

Ego verò, vt olim Achilles
Loricâ amictus, atque
Scuto minax & hastâ
Cum Amore præliabar,
Iaciebat ille tela,
Vertebam at ipse terga.
Tandémque mißili omni
Quum destitutus esset,
Irâ æstuans, iacit se
In me, velut sagittam:
Penetrans & in cor vsque
Medium, resoluit artus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Quod ait Amorem absumptis sagittis, ipsum se velut iaculum in Anacreontem coniecisse, id ex priscâ militiâ ductum est. Nam generosi milites olim absumptis telis ac viribus iam deficientibus cum breui moribundos se in terram lapsuros animaduerterent, extremis viribus collectis sese in aduersarij sui corpus coniiciebant, vt & morientes vel solo corporis irruentis pondere ipsum prosternerent. Exempla huius rei frequentia sunt apud Lucanum. Lib. III. de milite quodam:

-- tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus,
Membraque contendit toto quicunque manebat
Sanguine, & hostilem defectis robore membris
Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.

Et lib. VI. de Scœuâ.

--- tot munera belli
Solus obit, densamque ferens in pectore syluam
Iam gradibus fessis, in quem cadat eligit hostem.

Papinius lib. XI. de Polynice moribundo post funestum illud duellum:

--- nec plura locutus
Concidit, & totis fratrem grauis obruit armis.

Et lib. X. de Mœneceo qui pro Thebanis se deuouerat:

Seque super medias acies, necdum ense remisso
Iecit, & in sæuos cadere est conatus Achiuos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT XII.

Nudipedalia sacra. Crinium solutio. Leuare membra. *Lactantius Placidus bis refutatus.*

NON patiar egregium, & ex mediis priscorum rituum, ceremoniarúmque adytis ductum Papinij locum diutius inepta Lactantij Placidi interpretatione sordere. Agit Statius libro 7. Thebaid. de Atalanta Parthenopæi matre, quæ postquam mortem filij in somnis præuiderat, infausta illa somnia viuo fluuio detersum ibat. Versus hi sunt:

Tristibus interea somni turbata figuris
Torua sagittiferi mater Tegeatis ephebi,
Crine dato paßim, plantísque ex more solutis
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad vndas,
Purgatura malum fluuio viuente soporem.

Ad hoc quod Statius dixit: *plantis ex more solutis*] Ait Lactantius Atalantam *plantas soluisse*, seu, pedes nudasse, *ex eo more*, inquit, *quo solita erat cum procis suis cursu certare.* Quasi verò Atalanta hic iterum se ad cursum accingeret. Mittamus nugas. Dum Poëta inquit, *ex more*, duplicem ritum tangit, *Nudipedalia sacra*, & *solutionem crinium.* Veteres enim vota facturi, aut magicis rebus intenti, obseruabant vt & nudis pedibus essent, & passis crinibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Ouid. 7. Metam.

Egreditur tectis vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.

Horat. 1. sat. VIII.

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis passóque capillo.

Et Virgil. de Didone, inferis sacrificante:

Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta.

Ouid VI. Fastor. de Vestæ æde:

Huc pede matronam nudo descendere vidi.

Colum. de re rust. lib. 11. in fine

Democritus etiam, teste Plinio, libro τῶν ἀντιπαθῶν scripsit, erucas hortorum enecari, si mulier quæ in menstruis est, *soluto crine, nudis pedibus*, vno tantum palliolo induta, neque perizomate vllo circa pudenda velata, vnamquamque horti aream ter circumeat. Quin etiam in magna siccitate, cùm imbres à Diis poscerent, *Nudipedalia* instituebant. Tertullianus de Ieiuniis aduersus Psychicos Cap. XVI. *Sed & omnem* ταπεινοφρόνησιν *Ethnici agnoscunt, cùm stupet cœlum & aret annus,* NVDIPEDALIA *denunciantur: magistratus purpuras ponunt, fasces retro auertunt, precem indigetant, hostiam instaurant.*

Idem in Apologetico Cap. XL. *Cùm ab imbribus æstiua hyberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem quotidie pasti statímque pransuri, balneis & cauponis, & lupanaribus operati* Aqualicia *Ioui immolatis, &* NVDIPEDALIA *populo denunciatis.* Hunc ergò ritum Poëta hîc attigit, præsertim cùm Atalanta ad ædem Dianæ quam Britomartim vocant, accederet, quam non nisi nudo pede adire fas erat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

vt teſtatur Solinus Cap. XII. Acceſſiſſe autem Atalantam ad Dianæ ædem, ex ſequentibus Poëtæ verbis patet:

Ergo vt in amne nefas merſo ter crine piauit,
Verbaque ſollicitas matrum ſolantia voces
Addidit, armatæ ruit ad delubra Dianæ.

Par Lactantij oſcitantia exſtat Lib. VI. Thebaid. vbi Luctationem deſcribit Papinius in hunc modum:

Ergo vbi luctandi iuuenes animoſa citauit
Gloria, terrificos humeris Ætolus amictus
Exuitur, patriúmque ſuem. leuat ardua contrà
Membra, Cleoneæ ſtirpis iactator Agylleus &c.

Lactantius ad hunc locum, ait *leuare membra*, idem hîc eſſe quod *ſpoliare*, ſeu *exuere*. Quæ interpretatio alieniſſima eſt, & indigna, quam multis refellere coner. Poëta veterem Luctatorum & Athletarum morem tangit, qui dum in certamen prodibant, humeros, brachia, pectúſque altè attollebant, totámque corporis ſui molem latè oſtentabant, vt aduerſariis terrorem iniicerent. Eleganter expreſſit hunc morem Plinius, lib. XIV. Cap. XXII. vbi Luctationes, cęteráſque gymnaſticas exercitationes reprehendit: *Huc*, inquit, *pertinent peregrinæ exercitationes, & volutatio in cœno, ac pectoroſa ceruicis pandæ oſtentatio.*

Sic Virgil. lib. V. de Darete ceſtibus pugnaturo:

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit
Oſtenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Et noster hoc eodem lib. de Capaneo cestibus itidem certaturo:

Hic quantus Stygiis Tityus consurgat ab aruis
Si toruæ patiantur aues; tanta vndique pandit
Membrorum spatia, & tantis ferus oßibus exstat.

Huc facit elegans similitudo ab *Athletis* sumpta, quam ex Panætio Philosopho refert Gellius lib. XIII. cap. XXVI. *Vita*, inquit, *hominum qui ætatem in medio rerum agunt, ac sibi suisque esse vsui volunt, negotia periculaque ex improuiso aßidua & prope quotidiana fert. Ad ea cauenda atque declinanda proinde esse oportet animo semper prompto atque intento, vt sunt Athletarum qui Pancratiastæ vocantur. Nam sicuti illi ad certandum vocati proiectis altè brachiis consistunt, capútque & os suum manibus oppositis quasi vallo præmœniunt: membraque eorum omnia priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata; ita animus & mens viri prudentis aduersus vim & petulantias iniuriarum omni in loco atque tempore prospiciens, debet esse erecta, ardua, septa solidè, expedita, nunquam conniuens, &c.*

Itaque hoc præsenti Statij loco[1], *leuat ardua membra*, id est *attollit*, & *superbè ostentat*. Et hunc verum esse huius loci sensum ex sequentibus satis patet, nam addit Poëta:

Herculea non mole minor: sic grandibus altè
Insurgens humeris, hominem super improbus exit. &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT XIII.

Seges vinetis interſita: emeſſi fructus. *Manilij locus nouè correctus. Myſtrum.*

APVD Manilium Lib. v. vbi Vindemiatorum genituram proponit, verſus quidam occurrit à Turnebo, ac Scaligero, ſummis viris, variè acceptus, nec omnino tamen, vt videtur, in integrum reſtitutus. Cum Leone oriente Cratere, vindemiatores naſci canit Poëta, in hunc modum:

Vltima pars magni quum tollitur orbe Leonis,
Crater auratis ſurgit cælatus ab aſtris.
Inde trahit quicunque genus, moréſque, ſequetur
Irriguos ruris campos, amnéſque, lacúſque:
Et te, Bacche, tuas nubentem iunget ad vlmos,
Diſponétque iugis imitatas fronde choreas,
Robore vel proprio fidentem in brachia ducet,
Téque tibi credet ſemper: quin matre reſectum
Adiunget calamis, ſegetémque interſeret vuis:
Quæquè alia innumeri cultus eſt forma per orbem
Pro regione colet. nec parcè vina recepta
Hauriet è miſeris & fructibus ipſe fruetur, myſtris
Gaudebítque mero, mergétque in pocula mentem.

In penultimo verſu error latet. Quid enim eſt,

---- *vina recepta*
Hauriet è miſeris? &c.

Turneb. in Aduerſar. legendum cenſet:

Hauriet, è myſtris, & fructibus ipſe fruetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Μύςρον, teste Eustathio, cochlearis genus est, idémque quod μυςίλη, id est, bucca panis excauata qua ius hauritur. At emendatio hæc Scaligero displicet, quod non putet Manilium peregrina voce vsurum fuisse, relicta propria *cochlear*, siue *ligula*. Itaque ille legendum ait:

---- vina recepta
Hauriet emiscens &c.

Emiscere vinum, interpretatur *haurire*, vt Martialis alibi *miscere Falernum* dixit.

Cæterum, an non verius dicendum scripsisse Manlium:

---- vina recepta
Hauriet, emeßis & fructibus ipse fruetur.

Sanè pręcedentia eius verba videntur hoc conuincere: dixit enim ante: *-- segetémque interseret vuis*. Tangit nimirum Poëta eorum morem qui segetem vinctis interserunt, quod frequens in Gallia & Campania Italiæ. Et clarum hinc cur *fructus emessos* vocet. Sane hæc lectio nostra menti Poëtæ videtur conuenientior, & à prisca scriptura propius abest.

CASP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127



CASPERII GEVARTII

ELECTORVM

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

ÆLIA LÆLIA CRISPIS. *Epitaphium vetus Ænigmaticum præter omnium hactenus sententiam explicatum.*



VT Trachalio ille apud Plautum, ita ego hoc Capite

--- *promittã capillum, incipiamque hariolari.*

Bononiæ extra portam Mascharellam primo ab vrbe lapide, prope villulã Marci Antonij Voltæ Patritij Bononiensis, in pariete templi cum villâ coniuncti, exstat Epitaphium quoddam marmori incisum, cuius antiquitatem excesæ iam & fugientes præ situ litteræ satis indicant. Id ita habet:

D. M.

ÆL. LÆLIA CRISPIS, NEC VIR, NEC MVLIER, NEC ANDROGYNA;
NEC PVELLA, NEC IVVENIS, NEC ANVS;
NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PVDICA, SED OMNIA:
SVBLATA NEQVE FAME, NEQVE FER-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

RO, NEQVE VENENO,
SED OMNIBVS:
NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS,
SED VBIQVE IACET.
LVC. AGATHO PRISCIVS, NEC MARITVS,
NEC AMATOR, NEC NECESSARIVS;
NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS, NEQVE FLENS;
HANC NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEN,
NEC SEPVLCHRVM,
SED OMNIA,
SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT.

De hoc Ænigmate verè illud Maronis dici poteſt;

Cui non dictus Hylas?

Penè omnium namque nationum ingenia in eo enodando deſudarũt. Primus Marius Michaël Angelus, Italus, Philoſophus Patauinus de AQVA PLVVIA intelligendũ dixit. Ioannes verò Turrius Brugenſis, Belga, Iuriſconſultus, de MATERIA PRIMA eſt interpretatus. Hos reiiciens Ricardus Vitus, Anglus, itidem Iuriſconſultus, de NIOBE primùm, tum de ANIMA, mox de IDEA explicandum cenſuit. Poſtremo Nic. Barnaudus, Medicus Gallus, de MERCVRIO CHYMICO interpretatus eſt. Alij alia attulerunt, quorum ſententias & rationes in vnum volumen redactas, ac Patauij olim, nuper verò Dordraci apud Batauos excuſas qui volet, legat. Verè autẽ in vniuerſũ illud Comici de illis dici poteſt: *Faciunt næ intelligendo vt nihil intelligant:* ſanè illa Marij de *Aqua pluuia* interpretatio niue Gallica (vt eſt in Prouerbio) frigidior eſt. Et Bar-

naudi de *Mercurio Chymico* ſententiam ſi penitius excutias, vereor profectò ne vnà cum ſperato cinifionum auro in fumum & ventos abeat. Paria mihi de *Niobe*, de *Anima* & *Idæis* videntur, quæ omnia huic Ænigmati applicata, nec cœlum nec terram tangunt. Nec illa hîc excutere ac refutare nobis eſt animus. Breuiter tantum ſententiam noſtram proponemus, cuius luce (vt exiſtimo) aliorum hallucinationes ac tenebrę cuiuis facile apparebunt. Quid hæremus? Illius ſummi rerum Πανδαμάτορος, qui numine ſuo

Ætheraque & terras & maria alta domat;

AMORIS, inquam, *Epitaphium* hîc deſcriptum eſt, ac deſumptum illud potiſſimum ex veterum Platonicorum ſcriptis (vt mox patebit) & imprimis ex Alexide veteri Comico qui in Phædro ſuo pictores arguebat quod neſcirent CVPIDINEM rectè exprimere: *eum*, namque, *neque Marē eſſe neq. Fœminam*: *neque Deum, neque hominem*: *nec ſtolidum, nec prudentem*, *ſed compoſitum vndecunque*, *ac figura vna multas formas repræſentare*. Exſtant verſus quos dixi, Alexidis apud Athænæum lib. XIII. Dipnoſophiſt. in hunc modum:

Καί μοι δοκοῦσιν ἀγνοεῖν οἱ ζωγράφοι
Τὸν ἔρωτα. (συντομώτατόν γ᾽ εἰπεῖν) ὅσοι
Τοῦ δαίμονος τούτου ποιοῦσιν εἰκόνας.
Ἐστὶν γὰρ οὔτε θῆλυς, οὔτ᾽ ἄρσην, πάλιν
Οὔτε θεὸς, οὔτ᾽ ἄνθρωπος, οὔτ᾽ ἀβέλτερος,
Οὔτ᾽ αὖθις ἔμφρων, ἀλλὰ συνενηνεγμένος
Πανταχόθεν ἐν ἑνὶ τύπῳ πολλ᾽ εἴδη φέρων.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Ἡ τόλμα μὲν γὰρ ἀνδρὸς, ἡ δὲ δειλία
Γυναικὸς, ἡ ἄνοια μανίας, ὁ δὲ λόγος
Φρονοῦντος, ἡ σφοδρότης δὲ θηρὸς, ὁ δὲ πόνος
Ἀδάμαντος, ἡ φιλοτιμία δὲ δαίμονος.

Id est.

Mihi quidem ignorare videntur pictores.
Qualis AMOR *sit: & (vt paucis absoluam) quoquot*
Huius Dæmonis statuas faciunt.
Neque enim Mas ille est, nec Fœmina,
Nec Deus nec Homo: nec fatuus
Nec prudens, sed coagmentatus ex omnibus
Sub vna forma multas species ferens.
Nam eius virilis est audacia: ignauia verò
Muliebris: Amentia furiosa: Ratio
Cordata & circumspecta: ferina vehementia: Labor
Indomitus: Ambitio & Contentio Dæmoniaca.

Pertinet & huc Sophoclis elegans locus de *Venere*.

Ὦ παῖδες ἤτοι Κύπρις οὐ Κύπρις μόνον,
Ἀλλ' ἔστι πολλῶν ὀνομάτων ἐπώνυμος.
Ἔστιν μὲν Ἅδης, ἔστι δ' ἄφθιτος βία,
Ἔστιν δὲ λύσσα μαινὰς, ἔστι δ' ἵμερος
Ἄκρατος, ἔστ' οἰμωγμός. ἐν κείνῃ τὸ πᾶν
Σπουδαῖον, ἡσύχαιον, εἰς βίαν ἄγον.
Ἐντήκεται γὰρ πλευμόνων ὅσοις ἔνι ψυχή.

Id est:

O pueri, certe Venus non solùm Venus est,
Sed omnium particeps nominum.
Hæc eadem est Pluto, & inuicta Necessitas,
Hæc est Rabies furiosa, hæc mera Cupiditas,
Hæc Luctus est: Denique ei insunt omnia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Serium, Tranquillum, Violentum.

Tabeſcit enim illorũ Anima in quorũ pulmonibus ineſt.

Quin & Plato alibi *Amorem*, Πολυκέφαλον θηρίον, *multorum capitum belluam*, appellat.

Plutarchus verò in eo libello quo probat *Amorem* non eſſe Iudicium, eum verè *Ænigma* eſſe aſſerit δυσεύρετον καὶ δύσλυτον, *inuentu ſolutúque difficile*, cuius verba infra adferemus.

Ex his (vt opinor) prima huius inſcriptionis pars ſatis clara eſt. Nihilominus tamen breuiter ſingulas formarum differentias percurremus. Nam cur ÆL. LÆLIÆ CRISPIS nomen huic monumento inſcriptum ſit, infrà commodius dicemus, re ipsâ prius excuſsâ ac declaratâ. Legitur itaque:

NEC VIR, NEC MVLIER, NEC ANDROGYNA, &c. SED OMNIA.] Non ideo tantùm vtriuſque ſexus appellatio *Amori* conuenit, quod *Virilis* ei ſit *audacia* & *Muliebris timor*, vt ait Alexis, ſed quod in vtroque ſexu æquè vires ſuas exſerat ac dominetur. Hinc (vt auctor eſt Macrobius) in Cypro erat *Barbata Veneris* ſimulachrum. *Signum eius eſt*, inquit, *Cypri barbatum corpore, ſed veſte muliebri, cum ſceptro ac ſtatura virili: & putant eandem* MAREM *ac* FEMINAM *eſſe.*

Mox & Calui verſum adducit:

Pollentémque Deum Venerem.

Et Læuij verba: *Venerem igitur almum adorans ſiue* FEMINA *ſiue* MAS *eſt, ita vti alma Noctiluca eſt.*

Ariſtophanes apud Platonem in Sympoſio, ſeu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Dialogo *De Amore*, ait principiò tria hominum fuisse genera, *Marem*, *Fœminam*, & *Androgynon*. Sed mox addit tertium illud genus ἀνδρόγυνον, cum fastu ac superbia elatum Diis se æquare vellet, à Ioue in duas partes diuisum esse ac separatum: Sed vi *Amoris* eas partes iterum coniungi & vniri. Verba Platonis sunt: Πρῶτον μὲν γὰρ τρία ἦν τὰ γένη τὰ τῶν ἀνθρώπων. οὐχ ὥσπερ νῦν, δύο, ἄρρεν καὶ θῆλυ, ἀλλὰ καὶ τρίτον προσῆν κοινὸν ὂν ἀμφοτέρων τούτων, οὗ νῦν ὄνομα λοιπὸν, αὐτὸ δὲ ἠφάνισται. Ἀνδρόγυνον γὰρ ἓν τότε μὲν ἦν καὶ εἶδος καὶ ὄνομα ἐξ ἀμφοτέρων κοινὸν τοῦ τε ἄρρενος καὶ θήλεος. νῦν δ᾽ οὐκ ἔστιν, ἀλλ᾽ ἢ ἐν ὀνείδει ὄνομα κείμενον. *Principia tria hominum erant genera, non solùm quæ nunc duo, mas & femina, verùm tertium quoddam aderat ex vtrisque compositum, cuius solum restat nomen, ipsum perijt.* Androgynum *quippe tunc erat & specie & nomine ex maris & feminæ sexu commixtum. Ipsum profectò defecit, nomen solum infame relictum.* Mox hæc addit: Ἐστι δὴ οὖν ἐκ τόσου ὁ Ἔρως ἔμφυτος ἀλλήλων τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τῆς ἀρχαίας φύσεως συναγωγεὺς, καὶ ἐπιχειρῶν ποιῆσαι ἓν ἐκ δυοῖν, ἰάσασθαι τὴν φύσιν τὴν ἀνθρωπίνην. *Hinc vtique ex illo tempore mutuus hominibus innatus est Amor, priscæ naturæ conciliator, annitens vnum ex duobus efficere, hominúmque naturæ mederi.* Sequitur mox:

NEC PVELLA, NEC IVVENIS, NEC ANVS, &c. SED OMNIA.] Phædrus in eodem Symposio apud Platonem, *Amorem* omnium Deorum *vetustissimũ* esse asserit. At verò Agathon (hunc cum esse mox probabimus, cuius infrà in hoc monumẽto fit mentio) ibidẽ aduersus Phædri senten-

tiam, Amorem Deorũ omnium *maximè iuuenem* ait. Phædri verba hæc sunt: Μέγας θεὸς ὁ Ἔρως, καὶ θαυμαστὸς ἐν ἀνθρώποις τε καὶ θεοῖς, πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλῃ, οὐχ ἥκιστα δὲ κατὰ τὴν γένεσιν. τὸ γὰρ ἐν τοῖς πρεσβυτάτοις εἶναι τὸν θεὸν, τίμιον. (ἦ δ' ὅς) τεκμήριον δὲ τούτου. γονεῖς γὰρ Ἔρωτος οὔτ' εἰσὶν, οὔτε λέγονται ὑπ' οὐδενὸς οὔτε ἰδιώτου, οὔτε ποιητοῦ. *Magnus Deus est Amor, & apud Deos hominésque mirandus, cùm propter alia multa, tum maximè propter eius originem. Cum enim ex antiquißimorum Deorum numero sit, honore dignus apparet. Id autem ex eo arguimus quod parentes Amoris neque sunt, neque ab vllo vel poëta vel alio quouis traduntur.* Agathonis verò Oratio hæc est: Φημὶ οὖν ἐγὼ, πάντων θεῶν εὐδαιμόνων ὄντων, Ἔρωτα (εἰ θέμις καὶ ἀνεμέσητον εἰπεῖν) εὐδαιμονέστατον εἶναι αὐτῶν, κάλλιστον ὄντα καὶ ἄριστον. ἐστι δὲ κάλλιστος ὢν, τοιόσδε. πρῶτον μὲν νεώτατος θεῶν, ὦ Φαῖδρε, μέγα δὲ τεκμήριον τῷ λόγῳ αὐτὸς παρέχεται, φεύγων φυγῇ τὸ γῆρας, ταχὺ ὂν δηλονότι. θᾶττον γοῦν τοῦ δέοντος ἡμῖν προσέρχεται. ὃ δὴ πέφυκεν Ἔρως μισεῖν, καὶ οὐδ' ὄντος πολλοῦ πλησιάζειν. μετὰ δὲ νέων ἀεὶ ξύνεστί τε, καὶ ἔστιν. ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. ἐγὼ δὲ Φαίδρῳ πολλὰ ἄλλα ὁμολογῶν, τοῦτο οὐχ ὁμολογῶ, ὡς Ἔρως Κρόνου καὶ Ἰαπετοῦ ἀρχαιότερός ἐστιν. ἀλλά φημι νεώτατον αὐτὸν εἶναι θεῶν, καὶ ἀεὶ νέον, &c. Id est, *Assero equidem cum Dij omnes beati sint, Amorem (si modo fas est & tolerabile dictu) esse omnium beatißimum, quippe cùm pulcherrimus omnium, optimúsque existat. Quod verò pulcherrimus sit ex eo primùm patet, quod Deorum, ô Phædre, omnium maximè* IVVENIS *est, cuius ipse euidens argumentum præbet, cùm senectutem fugiat, velocem videlicet, quæ citius quàm oportet, aduen-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

tat, eamque Amor *natura odit, fugitque, iuuenibus verò ſe miſcet. Scitè quidem veteri prouerbio fertur, ſimile ſimili ſemper hærere. Et cùm alia multa Phædro concedo, in hoc minimè aſſentior quod* Amor *Saturno & Iapeto ſit antiquior. Imo præ cæteris Diis* IVVENEM *eſſe aio,* SEMPERQVE IVVENEM *&c.* Hæc ibi Agathon, & plura in hanc ſententiam, quæ vberiora ſunt quàm vt hîc referri poſſint.

NEC CASTA, NEC MERETRIX NEC PVDICA, SED OMNIA.] *Caſtitatem* & *Impudicitiam* Amori conuenire nemo dubitat. Ἐρως per ω, (vt Ammonius, Phurnutus, aliique adnotant) Amorem *impudicum* & *flagitioſum* denotat: Ἔρος verò per, ο, *Pudicum* & *bonum*.

Sequitur mox:

SVBLATA NEQVE FAME, NEQVE FERRO, NEQVE VENENO, SED OMNIBVS.] Recenſet auctor varios infelicium *Amantium* exitus, quorum alij fame, alij gladio, alij veneno, alij alio mortis genere perierunt. Videtur autem illud Thaletis dictum in mente habuiſſe:

Ἔρωτα παύει λιμός. εἰ δὲ μή, χρόνος.
Ἐὰν δὲ μηδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβέσῃ,
Θεραπεία σοι τὸ λοιπὸν ἠρτήσθω βρόχος.
Amorem fames tollit: ſin minus, Tempus:
At ſi neutrum iſtorum flammam exſtinxerit,
Reliqua tibi cura eſt ſuſpendium.

Auſonius in *Cupidine Crucifixo*, varia infelicis *Amoris* exempla deſcribit, Procridis nimirum, Herûs, Sapphûs, Eryphiles, &c.

Vulnera

Vulnera siccat adhuc Procris, Cephalique cruentam
Diligit & percussa manum: fert fumida testæ
Lumina Sestiacâ præceps de turre puella.
Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis.
Harmoniæ cultus Eryphile mœsta recusat
Infelix nato nec fortunata marito.

Et paulo post:

Parte truces alia strictis mucronibus omnes
Et Thisbe, & Canace, & Sidonis horret Elissa:
Coniugis hæc, hæc patris, & hæc gerit hospitis ensem.
Centum aliæ veterum recolentes vulnera Amorum
Dulcibus & mœstis refouent tormenta querelis.

Qui plura infelicis *Amoris* exempla desiderat, is Plutarchi & Parthenij τὰ Ἐρωτικὰ adeat, & Virgilium VI. Æneid. vbi *Lugentes campos* describit.

Sequitur:

NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS, SED VBIQVE IACET.] *Amoris* vis & potestas per elementa omnia, mundúmque vniuersum protenditur, & tam in *Cælo* quàm *Terra* aut *Mari* vires suas exserit. Erysimachus medicus apud Platonem in Symposio, vbi Pausaniæ orationi respõdet, qui *Amorem* in *Cælestem* ac *Vulgarem* diuiserat: Τὸ μὲν γὰρ διπλοῦν εἶναι τὸν Ἔρωτα δοκεῖ μοι καλῶς διελέσθαι. ὅτι δὲ οὐ μόνον ἐστὶν ἐπὶ ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς καλούς, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἄλλα πολλά, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις τοῖς τε σώμασι τῶν πάντων ζώων, καὶ τοῖς ἐν τῇ γῇ φυομένοις, καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι, καθεωρακέναι μοι δοκῶ ἐκ τῆς ἰατρικῆς, τῆς ἡμετέρας τέχνης. καὶ ὡς μέγας καὶ θαυμαστὸς,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

καὶ ἐπὶ πολὺ ὁ θεὸς τείνει, καὶ κατ' ἀνθρώπινα καὶ κατὰ θεῖα πράγματα. id est. *Distinctionē quidem illam qua in duo distributus est Amor, approbo. Verū nostrâ hac Medicinæ arte comperisse mihi videor non solùm animis hominum erga pulchros Amorem inesse, verùm etiam ad alia multa: atque in aliis tum corporibus animalium omnium, tum his quæ ex terra nascuntur: ac denique in omnibus, vt ita dixerim, quæ in rerum Natura consistunt. Magnum quoque & admirabilem hunc Deum per omnia tam humana quàm diuina latißimè se porrigere.*

Eleganter Oppianus Cyneget. 2.

Ὄμβριμ' Ἔρως πόσος ἐσσί, πόση σέθεν ἄπλετος ἀλκή;
Πόσσα νοεῖς; πόσα κυβερνέεις! πόσα δαῖμον ἀθύρεις;
Γαῖα πέλει σαθερή, βελέεσσι δὲ σοῖσι δονεῖται.
Ἄστατος ἔπλετο πόντος, ἀτὰρ σύ γε καὶ τὸν ἔπηξας
Ἤλυθες εἰς αἰθῆρ'. οἶδεν δέ σε μακρὸς Ὄλυμπος.
Δειμαίνει δέ σε πάντα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε,
Γαίης ὅσσα ἔνερθε, καὶ ἔθνεα λυγρὰ καμόντων
Οἳ Λήθης μὲν ἄφυσσαν ἀπὸ στόμα νηπαθὲς ὕδωρ.

Dure AMOR *quantus es! quanta tua infinita potentia!*
Quanta cogitas! quantū dominaris! quantū, Diue, ludis!
TERRA *firma est, tuis tamen telis commouetur.*
Inquies est MARE, *sed tu illud stabilisti.*
Venisti in COELVM, *vidit te magnus Olympus:*
Omnia te metuunt, & cœlum latum superbè,
Et quæcūque infrà terrā sunt, tristésque cœtus mortuorū
Qui Lethes hauserunt ore obliuiosam aquam.

Sophocles de *Venere*:

--- τίς οὔτι τῆσδε Θεοῦ φορός;
Εἰσέρχεται μὲν ἰχθύων πλωτῷ γένει.

Ἔνεστι δ' ἐν χέρσου τετρασκελεῖ γονῇ.
Νωμᾷ δ' ἐν οἰωνοῖσι τοὐκείνης πτερόν,
Ἐν θηρσίν, ἐν βροτοῖσιν, ἐν Θεοῖς ἄνω.
Τίν' οὐ παλαίουσ' ἐς τρὶς ἐκβάλλει Θεῶν;
Εἴ μοι θέμις, (θέμις δὲ τἀληθῆ λέγειν)
Διὸς τυραννεῖ πλευμόνων. ἄνευ δορός,
Ἄνευ σιδήρου πάντα τοι συντέμνεται
Κύπρις τὰ θνητῶν καὶ Θεῶν βουλεύματα.

--- Quis verò hanc Deam non patitur?
Piscium namque genus natatile subit,
Et inter quadrupedes in terra existit:
Mouentur & inter volucres ipsius alæ,
Intérque feras & homines, Deósque superos.
Quem non Deorum colluctando iterum atque iterum prosternit?
Quod si licet (licet autem) verum dicere;
Iouis pulmonum Domina est. Absque hastâ
Et absque ferro omnia discindit
VENVS *tam Deorum quàm hominum consilia.*

Apud Euripidem Ἔρως θεῶν τε κἀνθρώπων τύραννος nuncupatur. Vide Simmiæ Rhodij πτέρυγας Ἔρωτος, eruditissimis Claudij Salmasij, V. CL. Notis & Animaduersionibus nuper illustratas.

Sequitur:

LVC. AGATHO PRISCVS.] Diu anxius quæsiui quisnam foret ille *Agatho* qui hîc velut auctor huius Epitaphij designatur. Nam quod alij *Agathiam Scholasticum*, inferioris æui Poëtam ac Historicum hîc intelligunt, ineptissimum est. Tandem verò deprehendi procul dubio hîc innui illum AGATHONEM, Nobilem Atheniensem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

iuuenem formosissimum, qui *Symposium* à Platone descriptum celebrauit, in quo *de Amoris vi ac Natura* à doctissimis Græcorum copiosè disputatum est. Erat *Agathon* ille Poëta Tragicus, qui cùm coram triginta Græcorum millibus palmam in Tragœdia retulisset, sequenti die festum victoriæ suæ celebrauit, in quo (vt dixi) de *Amore* à conuiuis Disputatio instituta est. Interfuêre autem illi conuiuio amici eius, *Phædrus*, *Pausanias*, *Erysimachus*, *Aristophanes*, *Socrates* aliíque, qui (vt videre est apud Platonem) de *Amore* variè disserunt.

AGATHON hîc sua ætate, Græcorum Deliciæ erat, & certatim ob formam ac ingenium singulare à multis amabatur. In eum exstat elegantissimum illud Platonis Epigramma quod à Gellio etiam ac Macrobio adfertur:

Τὴν ψυχήν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν εἶχον.
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Suauia dans AGATHONI, *animā ipse in labra tenebā:*
Ægra etenim properans tanquam abitura fuit.

Pulchram verò & amœnam de hoc Agathone & eius amatore Pausaniâ historiam narrat Ælianus lib. 2. Var. Hist. Cap. XXI. in hunc modum: Ἀγάθωνος ἤρα τοῦ ποιητοῦ Παυσανίας ὁ ἐκ Κεραμείων. καὶ τοῦτο μὲν διατεθρύλληται· ὃ δὲ μὴ εἰς πάντας πεφοίτηκεν, ἀλλ' ἐγὼ ἐρῶ. Εἰς Ἀρχελάου ποτὲ ἀφίκοιτο, ὅτε ἐραστὴς, καὶ ὁ ἐρώμενος οὗτοι. ἦν δὲ ἄρα ὁ Ἀρχέλαος ἐρωτικὸς, οὐχ ἧττον ἢ καὶ φιλόμουσος. ἐπεὶ τοίνυν ἑώρα διαφερομένους πρὸς ἀλλήλους τόν τε Παυσανίαν, καὶ τὸν Ἀγάθωνα πολλάκις· οἰόμενος τὸν ἐραστὴν ὑπὸ τῶν παιδικῶν παρορᾶσθαι, ἤρετο ἄρα τὸν Ἀγάθωνα

ὁ Ἀρχέλαος, τί βουλόμενος οὕτω πυκνὰ ἀπεχθάνεται τῷ πάν-
των μάλιστα φιλοῦντι αὐτόν. ὁ δὲ ἐγώ σοι ἔφη φράσω βασιλεῦ.
οὔτε γάρ εἰμι πρὸς αὐτὸν δύσερις, οὔτε ἀγροικίᾳ πράττω
τοῦτο. εἰ δέ τι καὶ ἐγὼ ἠθῶν ἐπαΐω, τῇ τε ἄλλῃ, καὶ ἐκ ποιητικῆς,
ἥδιστον εὑρίσκω εἶναι τοῖς ἐρῶσι πρὸς τὰ παιδικὰ ἐκ διαφορᾶς
καταλλάσσεσθαι· καὶ πεπίστευκα οὐδὲν αὐτοῖς οὕτως ἀπαντᾷν
τερπνόν. τούτου γοῦν τοῦ ἡδέος πολλάκις αὐτῷ μεταδίδωμι,
ἐρίζων πρὸς αὐτὸν πλεονάκις. εὐφραίνεται γὰρ καταλυομένου
μου τὴν πρὸς αὐτὸν ἔριν συνεχῶς. ὁμαλῶς δὲ καὶ συνή-
θως προσιόντος, οὐκ εἴσεται τὴν διαφορότητα. Id est:
AGATHONEM *poëtā amabat Pausanias Cerameusis. & hoc quidem manifestum est. quod verò non omnibus notum est id ego exponam. Aliquādo venerunt ad Archelaum, ambo tum amator tum amatus: Archelaus enim non minus amoris quàm litterarum erat studiosus. Cùm igitur videret crebras esse contentiones inter Pausaniam &* AGATHONEM, *arbitratus amatorem ab amasio sperni, intergauit Archelaus quid sibi vellet quod frequenter simultates exerceret cum eo à quo summopere amaretur? At ille: huius rei, inquit, ô rex, ego rationem tibi reddam. Neque enim cō-tentiosior sum aut morosior aduersus ipsum, neque rusticitate quadam id facio. At si quid ego quoque de moribus intelligo, tum ex aliis, tum ex arte Poëtica iucundissimum amantibus esse reperio, si ex contentione & litibus cum amasiis in gratiam redeant. Et sanè mihi videtur nihil illis delectabilius accidere posse. Huius ergo voluptatis persæpe eum participem facio frequenter litigando. Gaudium enim capit, si contentionem cum eo subinde dissoluam, & reconciliem. Si verò æqualiter & consueto more cum eo semper agerem, non experiretur discrimen.* Hæc Ælianus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

lianus. Satiſne verò ex hac amicorum contentione clarum eſt, cur AGATHON infrà, *Neque mœrens, neque gaudens, neque flens* dicatur? Sed dè hac re ſuo loco. Porrò, etiam Euripides hunc *Agathonem* in deliciis habuit, vt refert idem Ælianus lib. XIII. Cap. IV. & Plutarchus in Apophlegmat. Eius verò Tragœdiarum mentionem faciunt Suidas, & Ariſtoteles in Poëtica, ac Lucianus. Meminit illius & Xenophon in Sympoſio. PRISCIVS verò cognomento hîc dicitur quod *Priſcus* iam & vetus foret ratione habita illius temporis quo hoc Epitaphium ab eo ſcriptum eſt, qui ſub eius nomine latere voluit.

NEC MARITVS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIVS, &c. SED OMNIA.] Res clara eſt. Potuit enim ille & ſimul *maritus* eſſe vxoris ſuæ, & præterea *amator* alicuius alterius Veneris. Vrbanè verò addit *Neceſſarius*, quod multi ſub *Familiaris* ac *Neceſſarij* nomine furtiuis amoribus indulgere ſoleant.

NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS, NEQVE FLENS, &c. SED OMNIA.] Omnes affectus ſunt in *Amantibus*, Gaudium, Dolor, Spes, Metus. Alexander Aphrodiſæus lib. I. Problemat. LXXXVII. Καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν οἱ ζωγράφοι σωματοποιοῦσι τὸν Ἔρωτα ποτὲ μὲν κατηφῆ καὶ ἡσυχάζοντα· ποτὲ δὲ πετόμενον καὶ μειδιῶντα. *Quamobrem pictores* CVPIDINEM *aliàs triſtem, anxium, iacentémque pingunt: aliàs hilarem, ſubridentem, volitantem.*

Plutarchus multa in hanc ſententiam eo loco

cuius suprà meminimus, vbi *Amorem* verè *Ænigma* esse asserit: οὕτω δὴ καὶ ὁ ἔρως ἔχει τι χαρίεν καὶ οὐκ ἄμουσον, ἀλλὰ αἱμύλον καὶ ἐπιτερπές. ἁρπάζει δὲ καὶ βίους καὶ οἴκους, οὐκ αἰνίγματα προβάλλων, ἀλλ' αὐτὸς αἴνιγμα δυσεύρετον ὤν, καὶ δύσλυτον. εἰ βούλοιτό τις προτείνειν, τί μισεῖ καὶ φιλεῖ. τί φεύγει καὶ διώκει· τί ἀπειλεῖ καὶ ἱκετεύει. τί ὀργίζεται καὶ ἐλεεῖ. βούλεται παύσασθαι καὶ οὐ βούλεται. τί χαίρει τῷ αὐτῷ μάλιστα καὶ ἀνιᾶται. *Sic* AMOR *etiam habet quiddam gratiosum nec inelegans, sed blandum & iucundum. Rapit autem hominum vitas familiasque, non* ÆNIGMATA *proponens, sed ipsemet* ÆNIGMA *inuentu solutúq; difficile existens. Vt si quis huiusmodi* ÆNIGMA *componat: quid sit quod oderit simul & amet, fugiat & persequatur, minetur & supplicet, irascatur & misereatur, desinere velit ac nolit, eâdem re maximè tum gaudeat tum tristetur.*

Plinius Iunior lib. 2. Epist. 2. ad Paullinum: *Irascor, nec liquet mihi an debeam, sed irascor. Scis quàm sit* AMOR *iniquus interdum, impotens sæpe,* μικραίτιος *semper.* Huius rei exemplum elegans iam suprà vidimus ex Æliano de hoc ipso *Agathone* & *Pausania.*

Nota sunt illa *Amoris* epitheta γλυκύπικρος, γλυκύδακρυς &c. Notum etiam veteres olim *Amori* duplicem arcum tribuisse, quorum vno sagittas lętitiæ, altero tristitiæ effectrices eiacularetur, de quibus Claudianus de Nupt. Honorij:

Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus
Alter, & infusis corrumpit mella venenis,
Vnde Cupidineas armauit fama sagittas.

Varios porrò *Amantium* Affectus eleganter expressit Eustathius lib. VI. de Ismeniæ & Ismenes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Amoribus, vbi Iſmenias, iam bonæ ſpei plenus ita loquitur: Ἐγὼ δὴ ὅλος ἐπὶ τὴν κλίνην ἀνακλιθεὶς, ὅλας εἶχον λογισμῶν θαλάσσας ἐπικλυζούσας μου τὴν ψυχήν. καὶ ὡς ναῦς ἐν σάλῳ κατεκυματούμην, καὶ κλύδωνι, ἐδονούμην, ἔχαιρον, ἐδειλίων, ἐθάρρουν, ὅλος ἤμην ἡδονῆς καὶ φόβου μεστός. τὸ γὰρ ἐπιτυχεῖν σφόδρα μου κατέσαινε τὴν ψυχήν. τὸ δὴ ἀποτυχεῖν καὶ λίαν κατέσαινεν. Quem locum, Clariſſimus Gaulminus, ſtupendi vir ingenij ac doctrinæ, eleganter ita vertit, in nuperâ ſuâ Euſtathij editione: *His dictis lectulo me commiſi multiplici curarum ſalo anxius: vt enim tempeſtate nauis agitatur, ſic diuerſæ mentis variis iactabar diſcurſibus; modò Triſtitiâ, Gaudio, Metu, inquies, & modò Voluptate ac Timore plenus.* ^ Sequitur:

Vide reliqua in fine voluminis.

HANC NEQVE MOLEM, NEQVE PYRAMIDEM NEC SEPVLCHRVM, SED OMNIA.] Cùm antè in vniuerſum de variis *Amantium* caſibus locutus ſit auctor, hîc etiam varias tumulorum & Epitaphiorum ſpecies complectitur. Alij enim vt ingentem in defunctos amores ſuos affectum teſtarentur, immenſas ſepulchrorum *moles* exſtruxerunt, vt *Mauſolæum* Artemiſia, quæ & ipſamet hauſtis mariti ſui cineribus in viuum eius ſepulchrum conceſſit. Aliis PYRAMIDES erectæ ſunt, vt Rhodopidi meretriculæ, cuius Pyramis maiori miraculo famáque fuit quàm cæteræ regum Ægyptiorum. Denique auctor eſt Diodorus apud Ægyptios vetuſtiſſima & magnificentiſſima fuiſſe ſepulchra, in quibus Iouis pellices vulgò conditæ dicebantur.

SCIT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT.] Acuta est conclusio huius Epitaphij. Nam quod ait *scire* se & *nescire cui posuerit*; SCIT quidem se AMORI posuisse, sed cùm quid sit *Amor*, ignoret, quod iam ante professus est, dum tot eius nomina & formas recenset, fit vt pariter & *sciat* & *nesciat cui posuerit*.

Et hactenus quidem rem ipsam excussimus. Superest vt modò inquiramus cur ÆL. LÆLIÆ CRISPIS nomen *Amoris* Epitaphio auctor præscripserit. Imprimis verò neminem turbet quod Fœminei generis nomina illi indiderit, quandoquidem mox vtrumque sexum illi tribuat. Ne autem multum de nominibus illis argutemur, existimo auctorem hîc diuersa nomina vulgò obuia ac Romanis vsitata vsurpasse: nam quemadmodum diuersas formarum differentias quæ *Amori* conueniunt, recensuit, ita etiam diuersa nomina illi attribuit, quasi dicat *Amorem* esse & in *Æliâ*, & in *Læliâ* & in *Crispi*. Solent autem à Poëtis nomina hæc fœminis ac meretriculis vulgò tribui. Hinc Martial. lib. I. Epig. XIX.

Si memini, fuerant tibi quatuor, ÆLIA, *dentes*,
Exspuit vna duos tussis & vna duos. &c.

De notione verò huius nominis ita Festus: ÆLIA GENS *appellatur quæ ex multis gentibus conficitur*.

LÆLIÆ verò nomen etiam promiscuè idem Martialis passim vsurpat, vt lib. V. Epigr. LXXV.

Quæ legis causa nupsit tibi LÆLIA, *Quincte*,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Et lib. x. Epigr. LVIII.

Tu licet edifcas totam referasque Corinthon,
Non tamen omnino LÆLIA, *Lais eris.*

Et lib. XIII. Epigr. XXII.

Dentibus atque comis, nec te pudet, vteris emptis,
Quid facies oculo, LÆLIA? *non emitur.*

CRISPIS] Nomen hoc Patronimicè hic positum à *Crispo* deductū. Talia sunt *Persis*, *Colchis*, &c. Solet verò *Crispitudo capillorum* Amori tribui. Vnde Moschus εὐπλόκαμον illū vocat, Idyll. de *Amore fugitiuo*:

Ἐστι δ' ὁ παῖς περίσαμος, ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν.
Χρῶτα μὲν οὐ λευκὸς, πυρὶ δ' εἴκελος. ὄμματα δ' αὐτῷ
Δειμύλα καὶ φλογόεντα. κακαὶ φρένες, ἁδὺ λάλημα.
Οὐ γὰρ ἴσον νοέει καὶ φθέγγεται. ὡς μέλι φωνά·
Ἢν δὲ χολᾷ, νόος ἐστὶν ἀνάμερος, ἠπεροπευτάς.
Οὐδὲν ἀλαθεύων. δόλιον βρέφος ἄγρια παίσδει.
Εὐπλόκαμον τὸ κάρανον ἔχει, δ' ἰταμὸν τὸ πρόσωπον.
Μικκύλα μὲν τήνῳ τὰ χερύδρια, μακρὰ δὲ βάλλει. &c.

Quæ eleganter ita vertit Politianus:

Insignis puer est, ac totam agnosce figuram:
Corpore non niueus, verum ignem imitatur: ocelli
Acres, flammeoli: mala mens, suauissima verba.
Quod loquitur non sentit idem, vox mellea: sed cùm
Ira inflammatur, tum mens illi effera, fallax,
Fraudator, mendax, ludit crudele puellus.
CRISPVLVS *est illi vertex, faciésque proterua,*
Exiguæque manus: procul autem spicula torquet.

Quin, homines delicatuli ac molles, Amoribus dediti, *crispo* capillitio esse fere omnes solent. Hinc Martialis lib. v. Epigram. LXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CRISPVLVS iste quis est vxori semper adhæret,
Qui, Mariane, tuæ? CRISPVLVS iste quis est?
Nil mihi respondes? Vxoris res agit, inquis,
Iste meæ: sanè certus & asper homo est:
Procuratorem vultu qui præferat ipso:
Acrior hoc Chius non erit Aufidius.
Res vxoris agit? res nullas CRISPVLVS iste,
Res non vxoris, res agit ille tuas.

Solent & CRISPA & CRISPILLA vulgo apud Poëtas esse scortorum nomina. Hinc apud Ausonium lib. 1. exstat Epigramma subscriptum picturæ *Crispæ* mulieris impudicę. Et ibidem Epigram. LXX. ad *Crispam.*

Deformem quidam te dicunt CRISPA: at ego istud
Nescio. mi pulchra es. iudice me satis est.
Quin etiam cupio, iunctus quia zelus Amori est,
Vt videare alius fœda, decora mihi.

Et hæc de nomine (vt opinor) satis. Litteras autem illas binas singularias D. M. ex communi Epitaphiorum more, quo DIIS MANIBVS consecrabantur, adiecta esse, notior res quàm vt admoneri debeat.

Ita ego de hoc Ænigmate sentio: vtrum autem Delius mihi fauerit Senatum litteratorum iudicem capio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT II.

Vetus Athenienſium iuſiurandum. Lactantij Placidi duo loca correcta. Ποιμανδρία. *Ortelij error.*


LACTANTIVS Placidus, vetus Papinij interpres ad illum verſum lib. v. Thebaid.

Hîc & ab aſſerto nuper Marathone ſuperbum Theſea &c.

„Hæc adnotat: MARATHON ciuitas in quâ Theſeus nutritus eſt, quam cùm Perſæ inuaſiſſent, ab Athenienſibus Theſeo duce, cæde magnorum virorum liberati ſunt. Vnde factum eſt, vt ita Athenienſes iurent: *Marti & Marathoni.* Hæc ille. At quis vſquam huiuſmodi Athenienſium iuramentum fuiſſe legit, *Marti & Marathoni?* Cæcus qui locum corruptum eſſe non videat. Fr. Tiliobroga ait in veteri codice ſuo legi: *Matheos & Marathoni.* At ipſe nihil inde elicit. Ego non dubito Græca verba hîc reſtituenda eſſe, quæ Latinis characteribus exarata viros doctos fefellerunt. Ac proinde pro illis nihili verbis: *Matheos & Marathoni,* legendum: Μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι. Iuramentum enim illud Athenienſibus fuiſſe ſatis patet ex oratione Demoſthenis de Coronâ, vbi ſic ait: οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας. Quin & Quintilianus alibi eiuſdem iuramenti meminit, vnde

nihil certius quàm illud hoc loco reſtituendum. Quod verò hîc Lactantius dixit Athenienſes duce Theſeo à Perſarum incurſu fuiſſe liberatos, omnino falſum eſt. Nam diu poſt tempora Theſei illa victoria parta eſt, duce Miltiade. Cùm ergò Poëta hîc *Marathonem* à Theſeo *aſſertum* ait, intelligẽdum eſt de tauro quem in campo Marathonio Theſeus interfecit.

Lubet & hic alterum in eodem Scholiaſte locum emendare. Ad illum verſum VII. Thebaid.

Mille ſagittiferos gelidæ de colle Tanagræ

Promouet ecce Dryas.] ita Lactantius: TANAGRA, *ciuitas Euboeæ, quæ nunc Penanoria nuncupatur.* Equidem quid monſtrum illud vocabuli, *Penanoria* hic ſibi velit, neſcio, nuſquam enim apud Geographos exſtat. Non dubito & hic Græcum vocabulum deſiderari, & ſcribendum Ποιμανδρία. Stephanus enim de Vrbib. auctor eſt *Tanagram* olim Ποιμανδρίαν dictam eſſe. Eius verba ſunt: Τάναγρα, πόλις Βοιωτίας ἣν Ὅμηρος Γραῖαν καλεῖ διὰ τὸ πλησίον εἶναι. ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Ποιμανδρία. Λυκόφρων,

Ἣν ἐς βαθεῖαν λαιμίσας Ποιμανδρίαν.

Hinc apparet erraſſe V. C. Abrah. Ortelium, qui in Theſaurum ſuum Geographicum in voce *Tanagrâ, Penanoriam*, nihili voculam retulit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT III.

Tacitus duobus locis restitutus, ex coniecturâ Fr. Malherbij V. CL.

CONCLAMATVS iampridem locus est apud Tacitum lib. IV. Annalium vbi Agrippinâ postulasse sibi maritum dari à Tiberio, his verbis refert: *At Agrippina peruicax iræ, & morbo corporis implicata, cùm viseret eam Cæsar, profusis diu ac per silentium lachrymis, mox inuidiam ac preces orditur: subueniret solitudini, daret maritum: habilem adhuc iuuentam sibi, neque aliud probis quàm ex matrimonio solatium esse: in ciuitate Germanici coniugem: ac liberos eius recipere dignaretur.* Illa verba: *neque aliud probis quàm ex matrimonio solatium: esse in ciuitate Germanici coniugem &c.* nullum omnino idoneum sensum reddunt. Vnde Lipsius ingenuè fatetur *non sese medicum huic loco,* & defectum aliquem esse arbitratur. Quod & suspicati sunt Vertranius Maurus, Muretus, alíique, qui voculâ vnâ de suo adiectâ locum clarum esse credunt, hoc modo: *esse in ciuitate* [qui] *Germanici coniugem ac liberos recipere dignaretur.* At haclectione nihil ineptius dici potest. Quid? Agrippina, Germanici Cæsaris coniux, mulier animosa & arrogans, adeo demissè & abiectè de se sentiat, vt dicat aliquos forte non defuturos in ciuitate qui eius connubium reiecturi non sint? Apage ine-

ptias. Alij ſola diſtinctione ita loco mederi conati ſunt: *Neque aliud probis quàm ex matrimonio ſolatium eſſe in ciuitate:* Sed & hæc lectio non minus abſurditatis habet quàm ſuperior. Nam cur Agrippina diceret nullum aliud probis quàm ex matrimonio ſolatium eſſe *in ciuitate?* quaſi verò triſtia omnia & infauſta coniugia quæ *rure.* Omitto aliorum interpretum conatus qui potius Veſpillones ad hunc locum quàm medici. Verus enim Æſculapius illi modò contigit, Nobiliſſ. atque amœniſſimi ingenij vir, Fr. Malherbius, qui, cùm nuper de hoc loco ageremus, pro *in ciuitate*, exili mutatione, *in ea ætate* legendum eſſe mihi aſſeruit. Qua re nil certius eſt. Nam iam ante *iuuentam* ſuam Cæſari obiecerat Agrippina. Error ille quàm facili librariorum lapſu contingere potuerit, nemini qui in hiſce ſtudiis paullulum eſt verſatus, obſcurum eſſe poteſt. Itaque totus locus ſic legendus ac diſtinguendus: *Habilem adhuc inuentam ſibi. neque aliud probis quàm ex matrimonio ſolatium in ea ætate. Germanici coniugem ac liberos eius recipere* (aut vt alij malunt) *reſpicere) dignaretur &c.* Ita omnia clariſſima & facilia ſunt, vt etiam à puero capi poſſint. Quod verò Lipſius, aliíque in Manuſcrip. ſuo lacunulam hoc loco eſſe aſſerunt, ibi ſpatium diſtinctioni & commati grandiuſculũ relictum erat, quod viros doctos fefellit, & lacunulam eſſe ſuſpicari coëgit.

Non inuidebo Taciti ſtudioſis & alteram eiuſdem politiſſimi viri emendationem, quæ eiuſdem notæ eſt cum præcedenti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Lib. II. Historiarum ita de corruptis aulæ Vitellianæ moribus loquitur Tacitus : *Nemo in illa aula probitate aut industria certauit : vnum ad potentiam iter , prodigis epulis & sumptu Caianæ aquæ satiare inexplebiles Vitellij libidines.* Quisnam quæso hic ille *sumptus Caianæ aquæ ?* Lupanus interpres *aquæductum* intelligit à *Caio Cæsare* inchoatum. At eo commẽto nihil futilius excogitari potest. An obsecro, quisquam sumptibus in vtilissima *Aquæductuum* exstructione impensis fœdas Principis sui libidines, quas hîc reprehendit Tacitus, explere potest? Nugæ. Lipsius corrigendum coniicit : *sumptu saginaque* : quod longius à veteri scriptura abit. Alij alia adferunt. Omnium vero acutissimè Malherbius coniiciebat : *sumptu ganeæ aleæque.* Quæ lectio non coniectura, sed res ipsa est. Has ego præstantissimi viri emendationes, velut gemmulas hisce obseruatiunculis nostris intertexere volui, vt quod per se non posset, earum splendore opusculum nostrum enitesceret.

CAPVT IV.

Versus transpositio in Manilio indicata.

LONGE illa grauissima Critices pars habita semper fuit, quæ longas verborum traiectiones, in veterum scriptorum monumentis commissas obseruat, & velut luxatos artus in integrum restituit. Huiusmodi non paucas versuum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

versuum transpositiones in Manilio ἀσυνήθως animaduertit Scaliger. Nos etiam hic vnam, quæ sagacissimos ipsius oculos fugit, indicabimus.

Libro IV. studiosum Astrologiæ difficultate artis ab ea deterritum, ita affatur Poëta:

Multum, inquis, tenuémque iubes me ferre laborem
Cernere quum facili lucem ratione viderer.
Quod quæris, Deus est: conaris scandere cœlum,
Fataque fatali genitus cognoscere lege,
Et transire tuum pectus, mundóque potiri.
Pro precio labor est, nec sunt immunia tanta.
Nec mirere viæ flexus, rerúmque catenas;
Admitti potuisse sat est: sunt cætera nostra.
At nisi perfossis fugiet te montibus aurum,
* *Rursus & in magna mergis caligine mentem,*
Obstabítque suis opibus superaddita tellus.

Versus ille penultimus, quem asterisco notauimus:

Rursus & in magna mergis caligine mentem,

sententiam omnino interturbat, & alterius loci esse facilè arguitur. Ego non dubito quin hinc inter primum & secundum versum traiiciendus sit, hoc modo:

Multum, inquis, tenuémque iubes me ferre laborem,
Rursus & in magna mergis caligine mentem
Cernere cum facili lucem ratione viderer. &c.

Iam duo posteriores versus, illo exempto, clarissimi sunt, ac optimè inter se cohærent:

At nisi perfossis fugiet te montibus aurum,
Obstabítque suis opibus superaddita tellus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Certiſſima hæc reſtitutio eſt, & artem diuinandi in perpetuum deſino, ſi hîc errem.

CAPVT V.

Thebe Deorum genitrix. Statius nouè explicatus. Socius ſanguis.

APVD Papinium I. Thebaid. in Oratione ſeditioſi illius ciuis Thebani qui alternum Eteoclis & Polynicis imperium dura ceruice detrectat, ita legitur:

--- Tibi ſumme Deorum
Terrarúmque ſator, ſociis hanc addere mentem
Sedit? an inde vetus Thebis extenditur omen, &c.

Bernartius ingenuè fatetur locum hunc ſibi non inter firmos videri, nec liquidò ſcire quid τὸ *ſociis* hîc ſibi velit. Ego locum ſanum & integrum eſſe præſto, & Thebanos hic à Poëta rectè *ſocios Iouis*, id eſt, *cognatos & affinitate iunctos* appellari aſſero. Ciuitas quippe Thebana *genitrix Deorum* vulgò dicebatur, quod inde orti Bacchus, Melicerta, Hercules. Seneca in Hercul. Furente:

--- quis ſatis Thebas fleat?
Ferax Deorum terra quem dominum timet?

Sophocles.

Θήβας λέγεις μοὶ τὰς πύλας τὰς ἑπταστόμους,
Οὗ δὴ μόναι τίκτουσιν αἱ θνηταὶ θεούς.

Et apud noſtrum VII. Thebaid. Eunæus, ſacer-

dos Thebanus, hostes Argiuos in hunc modum alloquitur:

Gens sacrata sumus: gener huic est Iuppiter vrbi
Gradiuúsque socer: Bacchum haud mentimur alumnũ
Et magnum Alciden.

Et 1. Thebaid. ipse Iuppiter Thebanis sese cognatum clarè fatetur:

Nunc geminas punire domos queis sanguinis auctor
Ipse ego, descendo: Perseios alter in ARGOS
Scinditur, AONIAS *fluit hic ab origine Thebas.*

Hinc ergo satis patet cur *Thebanos* Poëta *Iouis socios* appellarit. Sic alibi *socium sanguinem* dixit pro *cognato*:

--- vósque ô socio de sanguine Achiui.

Et lib. v.

---socij si tanta voluptas
Sanguinis.

Quin & Cadmus Thebarum conditor à Ioue ortum trahebat, & Harmonien Martis & Veneris filiam, Iouis neptim in vxorem duxerat. Itaque nihil est quod viri docti amplius de hoc loco solliciti sint.

CAPVT VI.

Ouidius à correctione aliorum assertus. malè visus. Pulchrè conspectus, &c.

IMMERITISSIME in suspicionem mendi venit ille Ouidij versus 2. de Arte:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Sit gracilis, macie quæ malè visa sua est.

Mendum videtur viris doctis in verbis istis, *malè visa*. nec satis Latinè id dictum putant. Hinc Dousa legendum existimat, *malè nisa*. alij *malè viua*. Cæterum locum integrum esse conuincit simillima Claudiani locutio lib. I. in Eutropium, vbi Eunuchum illum purpuratum describit:

Quàm pulchrè conspectus erat, cùm tenderet artus
Exangues onerare toga, cinctúque grauatus,
Indutóque senex obscœnior iret in auro.

Nam *pulchrè conspectus* eodem modo dictum Claudiano quo *malè visa* Ouidio. Itaque *male visa* hîc est idem quod *aspectu ingrata*. Simile est illud eiusdem Ouidij v. Metamorph. de Galatea.

Candidior folio niuei Galathea ligustri,
Nobilior pomis, platano conspectior alta. &c.

Et Iuuenal.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto &c.

CAPVT VII.

Laërtius explicatus. Diogenis dicto acumen additum contrà Erasmum.

LAERTIVS lib. VI. in Diogene hoc dictum eius proponit: Ἐντείναντος αὐτῷ κόνδυλον τινὸς, Ἡράκλεις, ἔφη, οἷόν με χρῆμα ἐλάνθανε, τὸ μετὰ περικεφαλαίας περιπατεῖν. *Cùm colaphum illi quispiam impingeret, Herculè, inquit, nesciebam me galeâ armato capite*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

incedere. Huius dicti acumen Erasmus lib. III. Apophthegm. reddit in hunc modum: *Ludens*, inquit, *manum pronam, galeam dixit, nec aliter vltus est percussorem*. Ita Erasmus. Sed procul à Philosophi mente aberrat. Neque enim per *galeam* hîc *cauam manum* innuere voluit Diogenes, quâ interpretatione nihil frigidius; sed Philosophicâ patientiâ illatam sibi iniuriam eludit, quasi dicat: *Non sentio*. Illius enim dicti hic sensus est: *Non magis me lædit aut mouet colaphus à te impactus, quàm si galea caput tectum haberem*. Nemo læditur nisi qui de iniuria sibi illata conqueritur. Rectè Menander:

Οὐδὲν πέπονθας δεινὸν, ἂν μὴ προσποιῇ.

Nihil passus es graue nisi ipse istud præ te feras.

Similis locutio est Valerij Maximi lib. III. cap. VIII. *Socratis autẽ virilitatis robore palliatus animus*. Et illud: *Socraticæ patientiæ loricam induere*. Potest verò etiam simpliciùs Diogenis dictum sic intelligi, vt eludendo ictum dixerit: *Nesciebam, profectò, galea armato capite esse incedendum*. Nam illius sententiæ est aliud eiusdem Philosophi dictum quod mox subiungit Laërtius: Ἐρωτηθεὶς τί θέλοι κονδύλου λαβεῖν; Περικεφαλαίαν, ἔφη. *Interrogatus quidnam vellet, vt colaphum acciperet, Galeam, inquit.* Tum enim iniuria omnis, illæso Diogene, in ipsum percussorem recidisset.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT VIII.

Veteres aliquot Inſcriptiones illuſtratæ. VIVAS *&* VIVATIS, *quid in iis deſignent.*

IN magno Inſcriptionum opere, à Iano Grutero, V. CL. iampridem conſtructo ac vulgato, non pauca exſtant monumenta, in quibus vocula hæc, VIVATIS, aſcripta eſt: quale eſt illud quod exſtat Pag. 4. num. 9. eius operis, ex Knibbij ſcedis, Romæ:

DIIS PROPITIIS
M. ACTINII
VIVATIS.

Et Pag. CCCCLXXVII. num. 1. luculentum exſtat marmor Mediolani effoſſum, & Montisferratum in domum Reguli tranſlatum:

GENETLON.
P. TVTILI
CALLIFONTIS
VI. VIR. SEN.
PATR. ƆXXII. COLL
AERAR. C. A. A. M
NEG. STIP. ARG
SPLENDID. ET
IVN. PVBLICIÆ
C. F. POMPONIÆ
T. T. CONIVG. EIVS
ET IVN. TVTILIÆ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

P. POMPONIAN
CONSTANTII
VIVATIS
L. ROMATIVS VALERIANVS
ET VOCATIA VALERIA
CVM FILIIS
CLIENTES.

Denique, Pag. CVII. num. 5. ex eruditiſſ. Camdeno adfertur hæc aræ artificioſiſſimæ inſcriptio, quæ exſtat Elenburgi in Cumbria:

GENIO LOCI
FORTVNÆ REDVCI
ROMÆ ÆTERNÆ
ET FATO BONO
C. CORNELIVS
PEREGRINVS
TRIB. COHORT.
EX PROVINCIA
MAVR. CAES.
DOMOS AEDES
DECVR........
....

In auerſa parte, in ſuperiori limbo aſcriptum:
VOLANTI VIVAS.

Vir illuſtr. Ioſ. Scaliger, qui accuratiſſimis Indicibus opus illud Inſcriptionum illuſtrauit, exiſtimauit τὸ VIVAS hic cognomentum eſſe, cuius genitiuus VIVATIS. In Indice enim Propriorum nominum ab illo recenſetur M. ACTINIVS VIVAS, CONSTANTIVS VIVAS, VOLANTIVS VIVAS. Cæterùm (vt CL. Scriuerius noſter

me nuper admonebat) ex his Inscriptionib. minimè exsculpenda sunt cognomina VIVATVM, nam & VIVAS & VIVATIS nihil aliud hîc sunt quàm vota clientum & amicorum Dominis & Patronis ob incolumitatem posita, à verbo *viuo*, quod ex subsequentibus duobus Epigraphis satis liquet.

Pag. M.CII. eiusdem operis, num. 8. Lelibæi in Sicilia:

CVRETI VIVAS
PRO MERITIS EXIMIÆ LENITATIS
ET BENIGNÆ ADMINISTRATIONIS
STRENVO AC PRÆDICABILI IVDICI
DOMINO ZENOFILO
V. C. CONR. PROV. SICIL.

Ex scedis eruditiss. Sirmondi.

Et pag. M. CX. num. 1.

D. M.

VALERIÆ. BERECVNDÆ. IATROMEÆ REGIONIS. SVÆ. PRIMÆ. Q. V. ANN. XXXIV. M. VIIII. D. XXVIII. VALERIA. VITALIS. FILIA. MATRI. DVLCISSIMÆ. ET. P. GELLIVS. BITALIO. CONIVGI. SANCTISSIMÆ. B. M. F. C. ET. SIBI. ET. GELLIO. CHRESIMO. FRATRI. ET. IVLIÆ. CHRESTÆ. SORORI. ET. EGO. VITALIO. CHRESTEN. S. S. QVAM. VICE. FILIÆ. ADTENDO. ET LIBERIS. EORVM. HOC. MONVMENTVM. ET. LOCI. SCALARE. CVBICVLI. SVPERIORIS. F. C. ET. LIB. Q. P. T. R. Q. EORVM.

PETREI VIVAS.

Exstat Romæ in Vaticano, Tabula marmorea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

CAPVT IX.

Reiectiuncula nuperi Interpretis Statiani. Loci aliquot à temeritate ac ineptiis illius vindicati. θεῶν νέμεσις vt vitari credita? Iuuenis Parthenope. Nec-tristis. Nec-opinus. Sitim excludere. &c.

MISERET me profectò Statij, quoties illius Interpretis Notationes lego, qui meris commentariorum suorum senticetis aureolas elegantissimi Poëtæ Syluulas nuper obduxit. Sed aderit, spero, breui quispiam Philo-Statius, qui infelix illud lolium, subnascentésque sacris stirpibus quasi perniciosissimas hederas, & omnem earum fructum lapsibus erraticis præfocantes, abrumpet penitus & detruncabit. Nos hîc obiter loca nonnulla, quæ nuper saltuatim legendo obseruabamus, iuuentutis causa adnotabimus, neque enim adeò prodigi otij nostri sumus, vt bonas horas futilissimis illis Scholiis, seu, verius dixerim, scoriis integrè percurrendis impendamus.

LIBRO ecce, V. Syluar. in PIETATE ABASCANTII erga PRISCILLAM vxorem, fato functam, exstat elegantissimus locus è media Philosophia ductus, qui confidentissimè à sciolo illo deprauatus est & corruptus. Sed antequàm locum illum proponamus, necessariò nobis quædam de *Abascantio*, ad quem Syluam illam scripsit Statius, ac notabili quadam veterum Sapientum opi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

nione præmittenda ſunt, quo res clarior euadat.

Erat *Abaſcantius* ille vir illuſtris, qui ſumma gratia & fauore apud Domitianum Imp. florebat, eiúſque opera ad ſupremas aulæ dignitates & honores emerſerat. Porrò, veteres cùm in rebus proſperis & ad voluntatem ſuam fluentibus θεῶν νέμεσιν, *Deorum*, inquam, ac *Fatorum inuidiam*, velut perpetuam felicitatis comitem ſemper extimerent, credebant morte alicuius amici ſui aut propinqui, quem ſingulari amore proſequebantur, aut aliâ quauis calamitate, inuidiam illam Deorum placari & leniri. Ita olim *Paullus Æmylius* (vt eſt apud Valerium) *victo Perſe rege, à Diis petiit vt ſi quid ob ingentem victoriam Inuidiæ dandum eſſet, id ſuo potius quàm publico damno ſolueretur: ideóque circà ipſos nobiliſsimi triumphi ſui dies, duos filios amiſit.* Ita etiam (eodem auctore) *Camillus, cum victis Veientibus ſimiliter precatus eſſet, vt ſi cui Deorum nimia felicitas Pop. Rom. videretur, illius inuidia ſuo aliquo incommodo ſatiaretur, ſubito lapſu in terram corruit, intráque paucos dies in exilium actus eſt.* Eiuſdem ſententiæ eſt dictum illud Philippi Macedonum Regis, cui cùm multi proſperi ſucceſſus vno die nunciati forent, Ω τύχη εἶπεν, μικρόν τί μοι κακὸν ἀντὶ τοσούτων καὶ τηλικούτων ἀγαθῶν ποίησον. *O Fortuna*, inquit, *pro tot tantíſque bonis exiguo me aliquo malo affice*, vt refert Plutarchus in Apophthegmat. Regum, & Principum, qui multa de hac veterum ſententia philoſophatur in Camillo, & Paullo Æmilio.

Ex hac veterum opinione (vt ad rem veniamus)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Priſcilla iam moribunda maritum ſuum *Abaſcantium* alloquitur in hunc modum:

-- vidi omni te pridem in flore nitentem,
Vidi altæ propius, propiúſque accedere dextræ.
Non in te Fatis, non iam cœleſtibus vllis
Arbitrium eſt: mecum iſta fero: tu limite cœpto
Tende libens, ſacrúmque latus, Geniúmque potentem
Irrequietus ama &c.

Illis verſibus:

Non in te Fatis, non iam cœleſtibus vllis
Arbitrium eſt: mecum iſta fero. &c.

Significat Priſcilla (vt cuiuis ex iis quæ iam præmiſimus ſatis patet) omnem Deorum inuidiam quam ex rebus proſperis Abaſcantij mariti ſui cõcipere poterant, morte ſua iam eſſe placatam. Verborum enim illius hic ſenſus eſt: *Nec Fata, ô marite, nec Dij felicitatis tuæ curſum abrumpent: omnem enim inuidiam ſuam in me exhauſerunt.* Hoc enim eſt quod ait: *mecum iſta fero.* id eſt, mala omnia, ob continuam felicitatem tibi à liuidis Diis impendentia mecum tollo.

Ecquis quæſo mediocriter Latinè intelligens hanc præſentis loci elegantiſſimi ſententiam eſſe non videat? Attamen nouitius interpres mirum in modum hîc exclamat, & quouis ſacramẽto ſeſe contendere paratum ait locum hunc eſſe corruptum, ac pro eo quod vulgò legitur:

Non in te fatis, non iam cœleſtibus vllis &c.

Econtrà omninò, Pronomine mutato,

Non in me fatis &c.

legendum esse. Operæpretium est, exiguâ chartæ iacturâ eius verba hîc apponere: *Quouis*, inquit, *sacramento contenderim mendosum esse hunc locum. Qua enim ratione Priscilla moriens diceret nullum ius Fatis aut cœlestibus vltrà fore in maritum quem relinquebat superstitem? Imo viui fatorum legibus & potestati obnoxij sunt non vita functi. Hinc Virgil. de Pallante interfecto:*

Nos iuuenem exanimem, & nil iam cœlestibus vllis
Debentem mœsti vano comitamur honore. &c.

Lege igitur, inquit, *Pronomine mutato:*

Non in me Fatis, non iam cœlestibus vllis &c.

Significat, inquit, *Priscilla se peregisse vitæ mimum, & solutam lege mortalitatis & Fatorum.*

Mox velut equis albis inuehitur, sibique applaudit quod primus locum hunc tam egregiè restituerit: *Hunc næuum*, inquit, *in Statio magni interpretes relinquere non debebant, sed id modestiæ potiùs quàm inscitiæ eorum ascribo, qui ope manuscriptorum codicum destituti religiosè Statium tractarunt. At saltem pronunciassent hunc locum corruptum videri.* Ita ille. At nos, ô Lector, illius ingenio magnum σοφῶς acclamemus: *En cor Zenodoti! en iecur Cratetis!* Desinat, quæso, desinat sibi tantùm de fatua sua correctione placere, nec modestiam hîc interpretum, sed suam inscitiam accuset. Nam quod quærit qua ratione Priscilla moriens dicat nullum ius Fatis aut cœlestibus vltrà fore in maritum superstitem; illud ex iis quæ paulò antè præmisimus clarissimum est. Priscilla enim ius omne Fatorum in maritum suum Abascantium sua morte dele-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

uerat, irámque illorum instar victimæ placauerat. Alia res est de versu illo Maronis. Nam ibi ipse Pallas sua morte iuri Fatorum satisfacit, at hîc Priscilla pro marito suo Abascantio, non secus ac olim Alcestis pro Admeto. Eiusdem sententiæ sunt illa Statij verba, quæ infrà subiungit:

Sic manes Priscilla subit, vbi supplice dextrâ
Pro te fata rogat, reges tibi tristis Auerni
Placat, &c.

Quæ verba idem sciolus frustra in erroris sui fulcimentum adducit. Sed tædet me ineptias hasce diutius refutare, cùm nemo sani iudicij non videat, locum hunc, quem ille mendosum esse quouis sacramento contendere audebat, esse integerrimum, ac potiori iure, quouis sacraméto contendi posse illum delirasse, dum hæc scriberet.

Sed pergamus, & alias quasdam illius nouas correctiones hîc excutere, vt acumen hominis omnibus pateat.

LIB. III. SYLVAR. in *Hercule Surrentino* introducit Poëta ipsum Herculem qui P*ollium*, virum illustrem Neapolitanum, quíque multis præclaris ædificiis *Parthenopen* seu *Neapolim* exornauerat, in hunc modum alloquitur:

Tune, inquit, largitor opum qui mentem profusâ
Tecta Dicarchæi pariter, iuuenémque replesti
Parthenopen?

Bonus ille interpres in Notis suis ad Epistolam præliminarem lib. IV. Syluar. ignorat cur *Parthe-*

nope hic *iuuenis* à Poëta dicatur, & locum corruptum existimans, legendum putat:

---iuuenúmque replesti Parthenopen.

Macte virtute Statianorum interpretum columen! Ergo proletarium facis Pollium quasi totam Neapolim iuuenibus repleuisset? Abstine imperitas manus à loco qui rectè habet, ac disce *iuuenem* hîc dici *Parthenopen*, id est νέαν πόλιν, allusione facta ad vrbis nomen Νεάπολις. Vrbs enim hæc Campaniæ primùm dicta fuit *Parthenope* (teste Strabone) sed mox cùm iam vetustate collapsa à Græcis restaurata est, νέα πόλις, *noua ciuitas* dici cœpit. Rectè ergo Statius ad hoc recentius nomen alludens, vrbem hanc *iuuenem* appellauit. Interpretationem hanc verissimam esse Statius ipse clamat, qui lib. IV. Syluar. ad Menecratem, de Neapoli agens, ita loquitur:

Sint qui fessam æuo crebrísque laboribus vrbem
Voce opibúsque iuuent, viridíque in nomine seruent.

Ecquid, quæso, aliud est ibi *viride nomen* quàm quod hic dixerat, *iuuenis?* Itaque temerarium illum correctorem & sola ignorantia audacem, cum hac tam felici coniectura sua μακρὰν κλαίειν τὴν κεφαλὴν iubeamus.

LIBRO V. SYLVAR. In *Epicedio Patris* Baianas Balneas eleganter ita describit Poëta:

Quósque Dicarchæi portus, Baianáque mittunt
Littora, qua mediis altè permistus anhelat
Ignis aquis, & operta domos incendia seruant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Illo hemiſtichio:

-- *& operta domos incendia ſeruant,* nihil ingenioſius dici poteſt. At nouitius commentator, quem omnia profanandi velut rabies quædã agit, hic, non *domos*, ſed *domus*, in caſu nominandi legendũ aſſerit. *Legebam*, inquit, *olim* Domus *in caſu nominandi, & nunc perſeuero. Sermo enim hic de balneis Baiarum quæ ſeruant operta incendia, quoniam ſubiecto igne perpetuò caleſiunt.* Ineptiſſimè totum Statianæ ſententiæ acumen peruertit. Poëta enim econtrà, *incendia domos ipſas illæſas & intactas ſeruare* dixit ingenioſiſſimè. Mirum quippe eſt, & cùm ipſa Natura pugnare videtur, vt *incendia domos ſeruent.* At hoc fit in toto illo tractu Baiano, vbi domus infinitę ſuperſtructæ montibus & collibus qui igne ſulphureo intus exæſtuant, vnde calidi illi Baiarum fontes naſcuntur & profluunt. Cùm autem iam à multis ſæculis ignes illi ſubterranei Baianis ædificiis nullum damnum intuliſſent, ingenioſè Poëta rei inanimatæ vitam tribuens dixit, *incendia illic ſeruare ipſas domos.* Sic elegantiſſimè Claudianus in Panegyrico Manlij, *fida incendia* dixit, quæ lignea pegmata non amburebant:

--- varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impunè vagus: pictæque citato
Ludant igne trabes, & non permiſſa morari
Fida per innocuas errent incendia turres.

Idem lib. I. de Raptu Proſerp. de monte Æthna agens, vbi incendia vicinas ſibi niues intactas ſinunt, *fumum fidelem* ingenioſè dixit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Sed quamuis nimio feruens exuberet æstu,
Scit niuibus seruare fidem, pariterque fauillis:
Durescit glacies tanti secura vaporis
Arcano defensa gelu, fumóque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

Loca hæc sententiæ Statianæ simillima sunt, qui eadem ratione, (vt iam diximus) eleganter ab incendiis subterraneis ipsas domos intactas seruari dixit. Alias in verbis poëtæ nullus lepos. Et nemo non videt merum frigus esse in illa sentẽtia, quam inficetus ille interpres ex futilissima emendatione sua Statio affinxit.

LIB. I. SYLVAR. In *Epithalamio Stellæ & Violantillæ*, Papinius Poëtas omnes ad nuptialem Stellæ, vatis politissimi, diem celebrandum adhortatur in hunc modum:

--- *Hunc ipse choro plaudente Philetas,*
Callimachusque senex, Vmbroque Propertius antro
Ambissent laudare diem, nec tristis in ipsis
Naso Tomis, diuesque foco lucente Tibullus.

Illum penultimum versum,

--- *nec tristis in ipsis*
Naso Tomis,

pro auctoritate suâ sese corrupturum sperauit idem nouitius commentator, qui hîc reliquos interpretes oscitantiæ accusat, quod non viderint hoc loco pro *nec tristis*, mutatâ particulâ, *vel tristis* legendum esse, hoc modo:

--- *vel tristis in ipsis Naso Tomis.*

Sed

Sed præstat illius verba hîc adscribere: *Corrumpit* «
sententiã, inquit, *particula negatiua*, nec, *pro quâ non* «
verebor substituere disiunctiuam, vel, *quod miror inter-* «
pretes non animaduertisse. Deinde ait præsentis loci
Statiani hanc esse sententiam: *Poëtæ illi veteres hunc* «
nuptialem diem laudassent ambitiosè, vel Naso ipse, quam- «
quam tristis in id munus incubuisset. Cerebrum magi- «
stelli! Nihil eius correctione ineptius, nihil eius interpretatione à Poëtæ mente alienius dici potest. Prisca lectio rectè habet. Verba enim illa, *nec tristis*, per ὑφὲν, figuram grammaticis notam, connectenda sunt, hoc modo: *nec-tristis*, id est, *latus, hilaris, &, excitatus*. Ita voce *nec-opinus*, id est, *subitus & inexpectatus* vtitur Papinius variis locis. Vt hoc eodem libro Tiburtin. Manlij:

Calcabam nec-opinus opes.

Et VI. Thebaid.

Breuemque fugam nec-opino fine relinquunt.

Ibidem: *-- manibus nec-opinum interserit ictum.*

Talis apud Maronem vocula est, *nec-turpis*, id est, *honestus & laudabilis*, Lib. III. Georg. vbi de *equo generoso* agit:

Hunc quoque, vbi aut morbo grauis aut iã segnior annis
Deficit, abde domo: nec-turpi ignosce senectæ.

Ignosce, inquit, *senectæ* quæ nec iners est, nec turpis, sed annis fracta & debilis. De vsu verò huius figuræ latè agit immortalitate dignus senex & bono Reipub. litterariæ iuuandæ natus, Andr. Schottus, Obseruation. Humanar. lib. 2. Cap. 42.

Sensus itaque loci Statiani è diametro contra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

rius est illi quem bonus ille interpres dedit. Neque enim vult Poëta Nasonem *tristem* in Epithalamij munus incubiturum fuisse, sed è contrà *lætum* & *alacrem*. Quasi dicat, *Naso, etiam in ipsis Tomis exulans, gauisus fuisset materiam scribendi talis Epithalamij sibi oblatam.* Nemo cui Corculis esse datum est hanc Poëtæ mentem esse negabit.

Sed parem hominis in eadem particula mutanda stultitiam etiam alio loco videamus. Non longè abiero.

HOC EODEM LIBRO in *Soteriis Rutilij Gallici* Papinius ipsum Rutilium, Vrbis Præfectum, summum & Oratorem & Poëtam laudaturus, ait se nec Apollinis fauorem curare, nec de Musarum fonte potare velle vt versus scribat, quod potius ab ipso Rutilio, homine doctissimo vires sibi in carmina subministrari malit, atque ex Poëtico eius ingenio aliquid haurire. Sic enim canit:

--- Licet enthea vatis
Excludat Pimplæa sitim, nec conscia detur
Pirene; largos potior mihi gurges in haustus
Qui rapitur de fonte tuo. &c.

Mirum est vt ad illa verba:

--- nec conscia detur
Pirene, ---

exclamet nouitius interpres. *Vulnus*, inquit, *huius loci vidit Bernartius in Notis, nec sanauit: Domitij interpretatio est ἡμιτελής: Geuartius silet.* Hominum fidem! Cùm omnes interpretes meri talpę hoc lo-

co, & Geuartius Harpocratem agat, quid ergò,

Quid dignum tanto feret hic corrector hiatu?

Verba eius audiamus: *Expunge*, inquit, *vltimum ele-* "
mentum ex particula negatiua, nec, *&* *lege*, ne, *hoc modo:* "

--- ne conscia detur "

Pirene, ---- "

Ad hunc sensum: Quamuis Musa abundè vati auxilietur: "
quamuis sitientia eius ora sacris laticibus irriget, ne ta- "
men, oro te, Rutili, de eius fonte Pyrene bibam. Sic ille, "
qui cùm instar montis quippiam parturire videbatur, mus ecce prosiliit, & quidem ridiculus. Nihil enim eius correctione aut interpretatione ineptius. Neque enim eorum verborum:

--- Licet enthea vatis

Excludat Pimplaa sitim,

hic sensus est: *Quamuis Musa vati auxilietur, & sitientia eius ora irriget, &c.* Sed directè contrarius, hic nempe: *Quãuis Musa vati non auxilietur, quamuis sitientia eius ora non irriget.* Homo acutus putauit *sitim excludere*, idem hîc esse quod *sitim explere:* At qui Latinè intelligit, omnino videt *sitim excludere* Papinio hîc esse, *sitientem reiicere & expellere*: Hoc enim Poëta vult: *Quamuis Musa me ad Pimplam Parnaßi fontem, vt inde bibam, accedentem, ab vndis suis arceat & prohibeat, nec Pirenen etiam me degustare permittat; erit tamen mihi, ô Rutili, ingenium & facundia tua pro Hippocrene, & sufficiet si inde aliquid mihi haurire liceat.* Poëticæ locutionis ignorantia fefellit

--- vnicum magistrum

Summum Grammaticum, optimum Poetam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Itaque τὸ *nec* nulla ratione hîc mutandum eſt. Cohæret enim cum membro orationis præcedente, *licet ſitim excludat*, cui ſubiungit Poëta, *nec detur Pirene*, id eſt, *licet non detur*, & inde prohibear. Id tenor ſententiæ, me tacente, docet.

Sic ergò locus clariſſimus eſt, ita vt etiam à puero capi potuerit, ideoque nos olim ad illum nihil adnotandum, aut mutandum duximus. Nam Medicinam ſano adhibere velle, inſanire eſt. Itaque nihil erat, ſagaciſſime interpres, quod tu hoc loco, malè ex tua ignorantia de aliena coniecturam faciens, ſilentium noſtrum accuſares. Et tu alias

Η λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε.

QVIA verò egregium hunc Commentatorem, non feliciorem interpretem profitemur, quàm correctorem, quaſdam illius nouas interpretationes hîc proferamus.

LIBRO III. SYLVARVM. In *Lachrymis Hetruſci*, ita canit Poëta de eius parente, *Claud. Hetruſco*, qui variis Romæ Principibus inſeruierat, & mox à *Claudio* Imp. grauiſſimis negotiis erat admotus:

Præcipuos ſed enim meritò ſubrexit in actus
Nondùm ſtelligerum ſenior demiſſus in axem
Claudius, & longo tranſmittit habere nepoti.

Quis hic *longus* ille *nepos*? Nouitius interpres *Neronem*, Claudij ſucceſſorem intelligit, quem *longum*, id eſt, *ſtolidum* à Poëta appellatum ait. Eius „ verba ſunt: *Epitheton* longus *non ad ſtaturam refer-* „ *tur, ſed ad ſtoliditatem, quo ſenſu* longum hominem

dixit Catullus in Ianua Prosopopœiâ. Quid ais, hominum acutissime? Nero tibi *longus*, id est, *stolidus & insanus*? Quin tu ipse

Ἀφραίνεις Μενέλαε διοτρεφὴς· οὐδέ τι σε χρὴ
Ταύτης ἀφροσύνης.

Insanus, Diue ô Menelae, nec est tibi quicquam
Stultitiâ hâc opus.

Væ tibi si Nero adhuc viueret. Immanem quidem ac detestandam illius Principis crudelitatem, & in summâ potestate nimiam rerum omnium licétiam, lasciuiámque & luxum meritò accusant Scriptores, non *stoliditatem*. Vtinam nè nimiùm ingeniosus ille fuisset malo publico. Martialis, ecce, lib. VIII. Epigr. LXX. *Doctrinam* eius commendat:

Carmina qui DOCTI *nota* NERONIS *habes.*

Et Seneca lib. I. Quæst. Nat. *Disertißimos* eius versus appellat: *Vt*, inquit, *Nero Cæsar ait disertißimè*:

Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ.

Denique Tacitus, lib. XIII. Annal. *Viuidum* eius *animum* appellat, qui sanè longè à *stolido* abest. *Nero*, inquit, *puerilibus statim annis* VIVIDVM ANIMVM *in alia detorsit. Cælare & pingere, cantus aut regimen equorum exercere*, &c. Itaque tametsi mox immanitate, & Principe indignis exercitiis, aurigatione, comœdiis, &c. ingentia animi bona fœdauerit, longè tamen à *stoliditate* abfuit, quæ à Naturâ esse solet, & propriè ἀναισθησία est, & *Stupor*. Et hoc sensu *longus* pro *stolido* vsurpatur, quod (vt in Problemat. censet Alexand. Aphrodisæus in hominibus *longæ*) atque enormis staturæ ani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ma non ita vnita nec compacta ſit, vt in iis qui breuioris ſunt & mediocris. Sed mittamus nugas, & ſtolidâ interpretatione explosâ, facili correctione Papinij loco ſubueniamus. Legẽdum omnino eſt:

---- & longùm tranſmittit habere nepoti.

Longùm habere dixit, eò quod Nero diu ac longo temporis ſpatio (annis enim quindecim imperauit) *Hetruſcum* hunc in famulatu habuerit. Ità etiam Lib. 4. Thebaid. *Longùm* Aduerbialiter Poëta poſuit:

---- Mauortia longùm
Furta dolens.

Et lib. 2. eiuſdem operis:

----Longùm enumerare Pharæos
Oebalioſque duces.

Error natus erat ob affinitatem pronunciationis quæ eſt in ſyllabis *um* & *o*, quâ in re à priſcis librariis, dum è dictantis ore verba exciperent, in hiſce Syluulis non vno loco peccatum eſt. Et ſic in corrupto illo Papinij verſu, qui exſtat in Epicedio Patris: *-- crinémque afflato monte, ſepulti*
Pone ſuper tumulos & magni funus alumni, &c.
pro *afflato monte*, ſimili mutatione, *afflatum monte*, legendum eſſe acutè vidit Princeps eruditorum, Dan. Heinſius noſter, vt olim in Papinianis noſtris monuimus.

Sed hæc nimis multa de notione *Longùm*, & *Longus*, cuius poſterioris voculæ ſignificatio iuxta ſenſum Catullianum nouitio interpreti bellè conuenit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Age, aliud modò non absimile illius in interpretando acumen videamus.

LIBRO III. SYLVAR. in EPITHALAMIO STELLÆ, vbi Cupido ipsum *Stellam* ardentissimo *Violantillæ* suæ amore incensum cùm Hippomene, proco Atalantæ, comparat, sic legitur:

Vidi ego & immiti cupidum decurrere campo
Hippomenem, nec sic metâ pallebat in ipsâ.

Ait hoc loco nouitius interpres, cùm duæ in Circo metæ fuerint, prima ad carceres, altera ad calcem; de primâ metâ hunc locum intelligendum esse: « *Prima*, inquit, *meta hîc intelligitur vnde initium cursus,* « *in qua pallebat Hippomenes, timens videlicet ne ab Ata-* « *lanta vinceretur. Nam finem cursus intelligere ratio &* « *sententia Poëtæ dissuadet. Non enim*, inquit, *pallent* « *homines in extremâ meta.* Mox addit: *Hippomenes di-* « *citur cupidus decurrere: nondum ergo concurrerat.* Stupor hominis! qui de *metâ* agens toto ipse cœlo à metâ aberrat! E contrà enim omninò de *extremâ metâ*, & fine cursus, Papinij locus intelligendus est.

Ecquis vulgo notam de Hippomene ac Atalantâ fabellam nescit, qua traditum est, Hippomenem, cùm iam *metæ extremæ* imminens Atalantam sibi proximam, ac vestigiis suis instantem animaduerteret, metu ne ab ea vinceretur, tribus malis aureis, in stadium proiectis, puellæ cursum retardasse? Hanc historiam Sidonius Apollinaris in Panegyrico Maioriani eleganter expressit, & *pallentem* prope *extremam metam* Hippomenem gra-

phicè depinxit.

Ita enim ille de Parthenopæo *Arcade*, & eius matre Atalantâ, cum Hippomene certante:

----- plantasque superbas
Haud ita per siccam Nemeen citus extulit Arcas
Cuius in Ætolo volitantem puluere matrem
Horruit Hippomenes, multo qui cespite circi
Contemptu præmissus erat, cum carceris antro
Emicuit pernix populo trepidante virago,
Nil toto tactura gradu, cùm PALLIDVS *ille*
Respiceret medium post se decrescere campum,
Et longas ad signa vias, flatúque propinquo
Pressus, in hostili iam curreret anxius vmbrâ,
Donec ad amfractũ METÆ IAMIAMQVE RELICTVS
Concita ter sparso fregit vestigia pomo.

Vt ecce Sidonius Hippomenem *ad amfractum metæ iam iamque relictum*, ac penè præteritum dicit, ita eleganter Statius ipsum iam *extremæ metæ* proximum, instante Atalantâ, *palluisse* ait, in summo scilicet certaminis sui discrimine, in quo si errasset, iam omnis anticipandi spes illi præcisa erat, atque adeò de illo actum fuisset. Eâ enim lege (vt vulgò notum est) cum procis suis certabat Atalanta, vt victi ac præteriti necarentur. Vel ex solo hoc Sidonij loco clarum est, cur Hippomenes *in ipsa extrema meta palluisse* dicatur. Ratio autem quam bonus ille interpres pro sententiâ suâ adfert, ne titiuillitij quidem est, aut nauci. *Hippomenes*, inquit, *dicitur cupidus decurrere, nondum ergò cucurrerat.* Gerræ germanæ. *Cupidus*

hîc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

hic idem est quod victoriæ auidus, est ad metam anhelans. *Vidi decurrere*, id est, *decurrentem*. Poëtica locutio.

Sed quid mirum in hâc *extrema meta* cespitasse nouitium interpretem, qui in primo auctoris sui limine, velut Canterius in porta, (vt est in Prouerbio) fœdissimè lapsus est?

Notissimus est versus Lib. I. Syluar. initio EQVI DOMITIANI.

Quæ superimposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum. &c.

Interpres ille cùm locum non capiat, ilicò mutandum censet, legendúmque hariolatur:

Quæ superimpositi moles geminata colossi.

Bellè profectò, mi homo, bellè:

Αὐτὸν κέκρουκας τὸν βατῆρα τῆς θύρας.
Ipsum attigisti nempe limen ostij.

Quid, quæso, est *moles geminata colossi superimpositi*? aut quam vim habet hac ratione Epitheton *superimpositi*? Næuij Buttubatta. Nullum omnino sanum aut idoneū sensum ea lectio reddit, & planè auctore suo digna est. Sed ait: *Sic Martialem lib.* 1. "
Epigr. *molem colossi, & molem Amphitheatri dixisse.* "
Acumen! Quia nimirùm eâ constructione ac syntaxi voculas illas vsurpauit Martialis, ideò & Papinius necessariò sic eas vsurpare debuit. Hæc ridicula planè, ac sibilis, non refutatione digna sunt. Itaque linquamus has quisquilias.

Nihil hîc mutandū: locus omninò rectè habet. Nos olim in Papinianis nostris duplicem illius in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

terpretationem attulimus. Nam τὸ *geminata*, vel ἀντὶ τοῦ *duplicata* sumi potest, vel ἀντὶ τοῦ *connexa & coniuncta*. Si priorem interpretationem, quæ & obuia & certior est, sequamur, tum verba illa, *superimposito colosso*, in auferendi casu accipienda sunt, vt dicat Poëta *molem* hanc *geminatam* esse, id est duplicatam, *ob superimpositum* illum Colossum. Per *molem* namque, *equum* basi insistentem designat Poeta, vt rectè etiam admonet Calderinus, & lemma Syluulæ hoc satis euincit. inscripta est enim *Equus Domitiani*. Itaque cùm solus equus vnà cum basi magnam per se molem constitueret, rectè *moles geminata* dicta est ob magnificum illum & superbum Domitiani colossum illi impositum. Si verò alteram explicationem sequamur, & *geminari* hîc interpretemur *connecti*, seu *copulari* (quâ notione vsum esse hoc verbo Papinium diximus in Epithal. Stellæ, vbi de sponsalibus agens, sic ait:

---- dat Iuno verenda
Vincula, & insigni geminat Concordia tæda.

Et Horat. in arte Poëtic.

----- non vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agnæ.)

Si, inquam, hoc sensu verbum *geminare* accipiamus, tum voces illæ, *superimposito colosso* in dandi casu accipiendæ sunt, vt dicat Poeta, *molem*, id est, Equum basi insistentem, coniunctam & connexam imposito illi Imperatoris colosso. Geminam hanc interpretationem olim attulimus, quam ta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

men nouitius commentator ideo ſeſe minus probare aſſerit, quod tunc impropriè videretur locutus Statius, cùm (vt ille cenſet) *moles* & *coloſſus* idem ſint, nec rectè diſtinguantur. Eius verba ſunt: *Id vtcumque probarem ſi moles à coloſſo recte diſtingueretur. Sed Plinius aduerſatur lib. 34. cap. 7. vbi ſic ait: Moles excogitatas videmus ſtatuarum quas Coloſſos vocant, turribus pares.* Ita ille. At quis contineat riſum hæc legens? quid vecordius dici poteſt, quàm *molem* à *Coloſſo* non diſtingui, cùm *moles* nomen generaliſſimũ ſit, quod *coloſſum* & res quaſlibet inuſitatæ magnitudinis, vt ſpecies ſub ſe complectitur, vt & pueri decennes norunt? Et ille Plinij locus nihil aliud vult, vt conſideranti patet. Piget enim tam futilia & inepta pluribus refellere. Itaque cùm *moles* de quauis re inuſitatæ magnitudinis dicatur, rectè Statius per *molem*, Equum æneum vaſtiſſimæ baſi innixum innuit, per *Coloſſum* verò ipſius Domitiani effigiem equo impoſitam. Ex his (vt opinor) cuiuis ſani iudicij ſatis patet præſentem Statij locum non eſſe mutandum, & furcis eiiciendam eſſe commentitiam illam nuperi Interpretis lectionem.

CAPVT X.

Continuatur superius Caput. Eiusdem nuperi interpretis Statiani ἀλογισία aliquot locis ostensa, & iniquæ reprehensiones confutatæ. Plorans anima *quid Papinio, in Epicedio Glauciæ. Blandæ vocis & orationis vires.* Nemesis *&* Fascinus *infantibus nocere crediti.* Verba refringere. *κεκλασμένη μουσική.* &c.

FVCOS esse apes quasdam spurias aiunt Physici, quæ cùm nihil ipsæ ex se boni gignant, aliarum tamen labores corrumpere soleant & depasci. Talis fuit nuperus ille Papinianarum Syluularum interpres, cuius in emendandis & enodandis veterum auctorum locis obscurioribus acumen & ἀσχύνοιαν superiori Capite vidimus. Nam cùm is in febriculoso Commentario suo, demptis iis quæ ex aliorum, nostrísque obseruationibus compilauit, nihil noui adferat præter scolica quędam nugalia, pro quibus nauci suum non daret Afranius, neque cicum Plautus, aliorum tamen rectè dicta & adnotata, vbi illa per inscitiam suam non capit, impudenter allatrat & insectatur. Et erunt fortassis nonnulli quibus nos aut ignauiores aut existimationis nostræ negligentiores videbimur, quod cum locis non paucis, inscitius nescio an impudentius à nobis discedat, illi in hisce Electorum libris ad singula non respondeamus, quò κακοήθειαν hominis ac stuporem plenè detegamus. At tantum abest vt illius ineptiis ego offensus fue-

rim, vt contrâ iis vehementer sim delectatus, vtpote qui viderim, Papinium tractare, rem non esse eius iudicij, nostrásque in grauissimum Poëtam obseruationes supra illius captum esse. Itaque risu potius quã vllâ acerbiore animaduersione nostrâ hominem dignum putabam, statuerámq; ex amicorum suasu omnino tacere, & ad eruditos prouocare, præcipuè ea laudaturos quæ à futilis aut nullius iudicij homine improbabantur. Sed ne quis fortassis malignior silentium nostrum in conscientiam culpæ adduceret, volui vnam aliquam Syluulam, in quâ inscitia illius & contradicendi prurigo potissimum sese prodiderunt, hîc excutere, vt ita velut

--- crimine ab vno

reliqua lector colligat.

LIB. II. SYLVAR. IN EPICEDIO GLAVCIÆ, pueri formosissimi, qui Athedio Meliori, nobili Romano in deliciis fuerat, víxque duodecennis præmaturâ morte obierat, ita Meliorem Poëta affatur:

Ipse etenim tecum nigræ solennia pompæ,
Spectatúmque vrbi scelus & puerile feretrum
Produxi, & sæuos damnati thuris aceruos,
Plorantémque animam suprà sua funera vidi.

Controuersum diu fuit inter viros doctos, quis sensus sit postremi illius versus:

Plorantémque animam suprà sua funera vidi.

Domitij Calderini sententiam, qui per *plorantem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

animam hîc ipſum Meliorem, Glauciæ dominum intelligit, hoc ſenſu: *Vidi te, ô Melior, lugentem teipſum, nam Glaucias erat alter tu* &c. in meis Papinianis abundè confutaui, nec hîc repeto. Ioſ. Scaliger locum corruptum ſuſpicabatur, ac Paſſiuè potius *Ploratam*, non *Plorantem animam*, legendum exiſtimabat.

Ceterùm ego priſcam ſcripturam intactam ſeruandam eſſe iam olim contendi, & ex ſententia veterum Platonicorum (quorum vbique ſtudioſus noſter Papinius) locum interpretandum dixi. Aiebant enim illi animas puerorum ac mollium hominum qui longioris vitæ cupidi ante diem præmaturâ morte obibant, diu circa cadauer ſuum oberrare, & ploratum quendam ac gemitũ edere, quod inuitæ de hac luce diſcederent. Ac idcirco diximus rectè Papinium Glauciæ pueri *Animam plorantem*, ſuúmque funus ſuperuolitantem introduxiſſe, vtpote qui vix duodecennis fato conceſſerat. Hanc ſententiam meam adeo multis veterum auctorum, Platonis, Macrobij, Lactantij, Lucretij, Tibulli, Maronis, atque adeo ipſius Statij teſtimoniis ac exemplis in Papinianis noſtris probaui, vt neminem adeo bardum, aut vero inimicum fore crederem, quin nobis aſſentiretur. Quid enim (vt cramben illam hîc recoquamus) clarius illo Platonis loco in Phædone, vbi Socrates in hunc modum Cebetem alloquitur: Ἐμβριθὲς δέ γε, ὦ φίλε, τοῦτο οἴεσθαι χρὴ εἶναι, καὶ βαρὺ, καὶ γεῶδες, καὶ ὁρατὸν· ὃ δὴ καὶ ἔχουσα ἡ τοιαύτη ψυχὴ

βαρύνεταί τε καὶ ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον, φόβῳ τοῦ ἀειδοῦς τε καὶ ᾅδου, ὥσπερ λέγεται περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους κυλινδουμένη. περὶ ἃ δὴ καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα, οἷα παρέχονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἴδωλα, αἱ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι, ἀλλὰ τοῦ ὁρατοῦ μετέχουσαι, διὸ καὶ ὁρῶνται. *Ponderosum verò, ô amice, id putandum est & graue, terrenúmque & visibile, quod anima eiusmodi secum trahit : ideóque ab eo grauatur, & rursus ad visibilem ab eo trahitur locum metu inuisibilis atque occulti : & quemadmodum fertur, circa monumenta sepulchráque versatur, circa quæ iam nonnulla apparuerunt animarum vmbrosa phantasmata qualia præferunt simulachra tales animæ, quæ videlicet non puræ discesserunt à corpore, sed visibile aliquid trahentes, quo fit vt videri poßit.* Eiusdem sententiæ est elegans Heliodori locus lib. 2. vbi Theagenes cùm interfectam esse Charicleam suam crederet, & *vocem* tamen eius audiret, existimat animam ipsius circa cadauer etiamnum oberrare. Locus ita habet : Καὶ ταῦτα διεξιόντος, ἐκ μυχῶν τοῦ σπηλαίου, φωνῆς τις ἦχος ἐξηκούετο, Θεάγενες καλούσης. ὁ δὲ οὐδὲν ταραχθεὶς, ὑπήκουσέ τε, καὶ ἥκω φιλτάτη ψυχὴ ἔλεγεν. εὔδηλος εἶ περὶ γῆν ἔτι φερομένη. τὸ μὲν διότι τοιούτου σώματος οὗ πρὸς βίαν ἐξηλάθης, ἀποστατεῖν οὐ φέρουσα. τὸ δὲ διὰ τὸ ἄταφον ἴσως ὑπὸ νερτερείων εἰδώλων εἰργομένη. *Hæc illo dicente, ex meatibus antri, vocis quidam sonus exaudiebatur, Theagenem vocantis. Ille autem nihil territus audiuit, &, Veniam charißima anima, dicebat. Manifestum præbes argumentum te adhuc suprà terram ferri : partim quod à tali corpore, ex quo per vim expulsa es, discedere sine molestiâ non poß-*

sis: partim quod, quia sepulta non es, fortaßis ab infernalibus vmbris arcearis. Sed, an non satis ipse Statius *Ploratum animarum* expressit lib. XII. Thebaid. vbi de Argiâ per insepulta mortuorum cadauera errante, sic canit:

--- *Non tenebras, non circumfusa tremiscens*
Concilia vmbrarum, atque ANIMAS SVA MEMBRA GEMENTES.

Et lib. VI. eiusdem operis:

IMPLORANTEM ANIMAM *dominis aßibilat aris.*

Item Tibull. lib. I. Eleg. 5.

Hanc volitent ANIMÆ *circum* SVA BVSTA QVERENTES.

Et Maro VI. Æneid. appositissimè ad mentē Statij:

Infantúmque ANIMÆ FLENTES *in limine primo.* &c.

Ex his aliísque locis, quæ & olim in Papinianis nostris attulimus, cùm Boui etiam septimo (vt est in Prouerbio) clarum sit, quid hîc *Plorantem animam* appellet Statius, nouitius tamen interpres cuius ægra mens passim in nos motat alas, cùm necdum volare didicerit, aliorum coniecturam qui passiuè *Ploratam animam*, legendum coniiciunt, hîc admittit, eamque lectionem ait malè à nobis impro-
„ batam. *Confirmatur*, inquit, *hinc lectio illius versus:*
„ Ploratamq; animā *quam Geuartius malè improbauit.*
„ *Quid est enim*, inquit, *videre* Plorantem animam?
„ *An Statius ait se vidiße spectrum vmbramq; Glauciæ die*
„ *eius funeris? Merum somnium.* Ita ille. At si vel sensus aliquot vestigium in homine esset, vel ex solis Platonis verbis, nihil esse in eâ sententiâ absurdi, atq;
adeo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

adeo eam esse Papinij mentem facilè perspexisset. Asserit enim Plato huiusmodi animas circà cadauer suum oberrãtes, *visibile aliquid secũ trahere, ideoq; videri posse*: Discedunt, inquit, τοῦ ὁρατοῦ μετέχουσαι, διὸ καὶ ὁρῶνται. Nec vidit homo vecors potiori iure à se peti posse, quid sit videre *ploratam animam*? Sed demus Poëticè locutum Papiniũ, & cùm ait *vidisse se plorantem Glauciæ animam*, idem hoc esse ac si dixisset, *audisse se eam & intellexisse*. Sed quid hîc ea repeto quæ copiosè in Papinianis meis attuli? Ex quibus cùm clarissima sit huius vulgatæ ac receptę lectionis sententia, quam etiam rectè tuetur, & pluribus exemplis adductis confirmat in politissimis Apophoretis suis eruditissimus Behotius, quid ineptius quàm nouam & commentitiam lectionem, contrà omnium veterum codicum fidem hîc velle obtrudere? Itaque ludibrium nobis de hoc loco debet Censor noster. Age, videamus mox sequentes Papinij versus, in quibus non minor eius ἀλογία & impudentia elucet.

INFRA, versu ab hinc 48. Poëta blandam ac suauem Glauciæ pueri vocem ita describit:

---- Blandis vbinam ora arguta querelis,
Et mixta risu lachrymæ? penitusque loquentis
Hyblæis vox mixta fauis, cui sibila serpens
Poneret, & sæuæ vellent seruire nouercæ?

Cur ait Poëta, ad Glauciæ vocem *serpentes sibila sua compressuros*? Domitius Calderinus (vt olim adnotauimus) ait Papinium hîc alludere ad Hi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

storiam Herculis, qui duos angues à Iunone immissos puer elisit. Cæterum hâc interpretatione nihil alienius à Poëtæ mente dici posse, olim etiam asseruimus, & contrà probauimus Papinium hîc ad blandæ vocis vires ac orationis dulcedinem alludere, quam cùm *incantamentis* veteres comparare solent, ac eandem penè vim obtinere asserunt. Vnde Plato in Euthydemo, facultatem Oratoriam *Incantatricis Artis* partem quandā esse ait, his verbis: Καὶ γὰρ μοι οἵτε ἄνδρες αὐτοὶ οἱ λογοποιοὶ, ὅταν συγγένωμαι αὐτοῖς, ὑπέρσοφοι δοκοῦσιν εἶναι. καὶ αὐτὴ ἡ τέχνη αὐτῶν θεσπεσία τις καὶ ὑψηλή. καὶ μέν τοι οὐδὲν θαυμαστόν. ἔστι γὰρ τῆς τῶν ἐπῳδῶν τέχνης μόριον, μικρῷ τε ἐκείνης ὑποδεεστέρα. ἡ μὲν γὰρ τῶν ἐπῳδῶν, ἐχέων τε καὶ φαλαγγίων, καὶ σκορπίων, καὶ τῶν ἄλλων θηρίων τε, καὶ νόσων κήλησίς ἐστιν. ἡ δὲ, δικαστῶν τε, καὶ ἐκκλησιαστῶν, καὶ τῶν ἄλλων ὄχλων κήλησίς τε, καὶ παραμυθία τυγχάνει οὖσα. Id est: *Etenim mihi illi ipsi viri qui conficiendarū Orationum facultate valent, quum illorū vtor consuetudine, mirum in modum sapientes videntur: hæcq; adeo illorū ars diuina quædam excelsaque res est. Est enim* ARTIS INCANTATRICIS *pars quadā, & quæ parum ab illâ absit. Incantatorum enim ars in eo versatur vt viperarum, phalangiorum, scorpionum, aliorumque serpentum venenatorum furorem compescant atque sedent: eorum verò facultas qui orationes factitant, in eo est vt Iudicum & concionatorum & cæteræ multitudinis vim adhibitis verbis demulceat, placétque.* Vel ex solo hoc Platonis loco mens Papinij satis clara est. Adeo blanda, inquit, ac mellea erat vox Glauciæ pueri, vt non secus ac arcanâ quadam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

incantationis facultate, qualem Marsi & Psylli in serpentibus alliciendis adhibere solent, instructa, ipsos etiam serpentes potuisset delinire. Simillima locutio est illa Ennodij, Carm. 2. quam & olim in Papinianis meis attuli:

Eloquio lyncem, tu subdes voce leonem:
Melle tuo serpens gutturis arma premet.

Hîc *Gutturis arma* elegantissimè *venenum* appellat. *Melle tuo*, eadem ratione dixit vt noster, *Hyblæis vox mixta fauis.* Sic lib. v. Syluar. de Crispino, iuuene elegantissimo canit:

---- qui voce potes præuertere morsus
Serpentum, atque omnes vultu placare nouercas.

Quid clarius dici potest? Quis hinc non videt ineptam esse Calderini interpretationem qui ad angues ab Hercule puero elisos poëtam respexisse ait? An, obsecro, Hercules *voce sua* (de quâ hic agitur) serpentes illos compescuit? Imo *manibus suis* eos elisit, & primum illud specimen eius virtutis ac roboris. Vnde ita Claudianus, lib. de Laudibus Hercul.

Corripis exiguis mox grandia guttura palmis,
Et quamuis teneris, cogens in brachia pondus
Corripis, illidens prensos tellure dracones.

Itaque quid ineptius quàm, dum Poëta *suauem Glauciæ vocem* laudat, illam comparare cum *manibus* ac *lacertis* Herculis? Cùm interpretatio hæc planè absurda, & inepta sit, reperit tamen Calderinus stipitem assensorem sententiæ suæ. Fucus enim ille nouitius commentator, hic illius interpretatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

nem amplectitur, & nostram vt ridiculam exagi-
» tat. Verba illius sunt: *Rectè Domitius putat Statium*
» *ad Herculis fabulam respexisse, qui geminos angues à Iu-*
» *none Nouercâ immissos elisit. Id satis confirmat series ora-*
» *tionis, in qua nouercarũ iræ fit mentio, & Cõparatio anno-*
» *rum Glauciæ cum laboribus Herculis, quã paulò pòst Poëta*
» *subiungit.* Et mox hæc addit: *Cui cordato non erit cordi*
» *hæc interpretatio? tamen eam exagitat Geuartius, cùm nihil*
» *afferat præter ridiculam expositionem de vocibus magicis*
» *quibus angues sopiri possunt aut necari. Quid nefandæ ar-*
» *tes veneficorum & Thessalorũ vires ad laudem pueri?* &c.
Ita ille. E quibus facilè videt lector hominem apertè κορυβαντιᾷν, & de potestate exisse. Excutiamus quæso paulisper eius rationes. Ait, *seriem orationis* esse pro Calderini sentẽtiâ. Nimirum, quia *Nouercarum* mentioné facit Statius necessariò *Iuno* intelligenda est. Deinde, ait Cõparationem annorum Glauciæ cum laboribus Herculis, quam mox Poëta subiungit, Calderini interpretationem adstruere. quo dicto, homo insulsus nihil stultius aut futilius proferre potuit. Quinto ecce & septuagesimo ab hinc versu ita canit Statius de eodem Glauciâ: ---- *Herculeos annis æquare labores*
Cœperat assurgens, sed adhuc infantia mixta. &c.
Mens Poëtæ ibi est, Glauciam iam numero *annorum* æquasse *labores Herculis*, id est, *duodecim* annorum esse factum, nam is numerus *laborum* Herculis. Et Martialis etiam signatè duodecim annos Glauciæ tribuit in eius Epitaphio, Lib. VI. Epigr. XXVIII.

Bissenis modò messibus peractis
Vix vnum puer applicabat annum.

At quid, quæso, hoc facit vt probet ille Papinium ad interfectos ab Hercule angues alludere, quod Glaucias hîc *duodecimum* annum attigisse dicitur? Credidit scilicet, acutissimus interpres, *Herculeos annis æquare labores*, idem hîc esse quod *vires Herculis æquare*, quasi dixerit Poëta, tam fortem fuisse Glauciam quàm olim in eâ ætate Hercules. Quo quid vecordius dici potest? Videt Lector stultitiã, videt absurditatem.

Sed & petit, *Quid veneficorum ac Thessalorum vi-* " *res ad laudem pueri*? At nisi solens stupor eius iu- " dicium occupasset, iam intellexisset quod nec *veneficum*, nec *Thessalum* fuisse Glauciam hic ex nostrâ sententiâ velit Papinius, sed dicere, suauissimæ eius voci eam fuisse gratiam, vt *Thessalorum* instar, serpentes potuisset compescere & delinire, quod ex verbis Platonis suprà à nobis allatis clarissimum est. Et sic loquitur Ennodius in Vita Epiphanij: *Iam si ad sermonem eius veniamus, nunquam sic duras aspides verborum digitis incantator Thessalus, aut violentis poterit euocare carminibus, quomodo ille effectum petitionis suæ negaturis extorquet.* Et Symmachus lib. 7. Epist. 19. *Quis Colchus aut Thessalus cantu & manu has offensiones leuasset?* Quæ loca etiam olim attulimus. Sed iam piget diutius hæc tam futilia & tam stulta refutare. Videamus sequentem Papinij locum, in quo pari euentu nobis insultat, id est, more suo se traducit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

INFRA, versu 120. huius eiusdem EPICEDII, de Glauciæ infantia & educatione ita Poëta canit:

Scilicet infaustâ Lachesis cunabula dextrâ
Attigit, & gremio puerum complexa fouebat
Inuidia: illa genas & adultum comere crinem,
Et monstrare artes, & verba refringere, quæ nunc
Plangimus.

Calderinus existimabat voculam *Inuidia*, hîc esse auferendi casus, & explicat, *Inuidia*, id est, *propter inuidiam*. Ineptè. Neque enim (vt olim monuimus) *Inuidia* hic auferendi casus est, sed nominandi. Statius enim Philosophicè *Inuidiam* seu *Nemesin* velut altricem & nutricem Glauciæ assignat, quæ in primo pueritiæ flore, omnia illi elegantiæ ac venustatis dona, omnes Venerum, Gratiarúmque dotes liberalissimè concesserit, sed vt postea grauius illi noceret, & vitâ vix salutatâ illum eriperet. Interpretationem hanc meam firmaui simillimo Statij loco qui exstat hoc eodem lib. 2. Syluar. in *Epicedio Pileti*, iuuenis formosissimi, cui cùm omnes animi corporísque dotes etiãnum puero à *Nemesi* Dea, quam ibi *Rhamnusiam* appellat, collatas esse Poëta cecinisset, hoc ab illâ factum ait, vt deinde acerbius iuuenem affligeret, & *Inuidiam* ac *Mortem*, socias suas secũ adducens, cum annos vix duodeuiginti natum è medio tolleret. Locus ita habet:

---- *Vitæ modo carmen adultæ*
Nectere tentabat iuuenum pulcherrimus ille;
Cum tribus Eleis vnam trieterida lustris

Attendit toruo tristis RHAMNVSIA *vultu.*
Ac primum impleuitque toros, oculisque nitorem
Addidit, ac solito sublimius ora leuauit,
*H*EV MISERO LETHALE FAVENS! *sese-*
que videndo
Torsit, & Inuidiam, Mortémque amplexa, iacenti
Iniecit nexus, carpsitque immitis aduncâ
Ora verenda manu. &c.

Hic locus alteri illi Statiano loco tàm similis est, vt nō ouum ouo similius esse queat, & quiuis sani iudicij mentem Papinij inde facillimè intelligit. Sed denuò hic in nos insurgit Aristarchus noster, aítque, *nos alienißimam sententiā Statio affingere, quasi ille* « *Inuidiam Glauciæ nutricem assignauerit; frustráque lo-* « *cum illum ex Epicedio Pileti à nobis adductum, nec dici ibi* « *Piletum iuuenem educatum & ornatum à Nemesi.* At sa- « nè, nisi homo ille solennia deliraret, animaduertisset omnino verba illa, quæ ibi de *Rhamnusiâ*, seu *Nemesi* Poëta adfert, in hunc modum:

Ac primùm impleuítque toros, oculisque nitorem
Addidit, & solito sublimius ora leuauit,
Heu misero lethale fauens. &c.

quibus verbis nihil aliud Poëta innuit, quàm *Nemesin* Pileti membra decorè conformasse, oculis splendorem, ori venustatem quandam conciliasse. Id verò quid aliud est quàm *Nemesin* illi instar cosmetæ fuisse, ornatricis ac nutricis? Planè scilicet vt in præsenti Epicedio Glauciæ dixit Poëta:

--- gremio puerum complexa fouebat
I N V I D I A: *illa genas & adultum comere crinem,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Et monstrare artes, & verba refringere. &c.

" Sed addit Censor noster, *Ad vituperium potius, quàm*
" *ad laudem pertinere tale figmentũ de Inuidiâ nutrice,* &c.
Quibus verbis homo ille nullũ sese vllius elegãtioris doctrinæ, aut Philosophiæ gustum habere apertissimè prodit. Nimirùm ignorat, *Deorum Inuidiam* seu *Nemesin*, florentissimis & splẽdidissimis mortalium rebus semper comitem à sapientibus additam. Erat enim *Nemesis* nihil aliud quàm *Fortuna*, quæ nimiis donis & muneribus suis velut inuida & irata, ea tollebat quæ dederat. Hinc eleganter Apollodorus Comicus:

Πρὸς γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ Φθόνος βιάζεται.
Σφάλλει δ' ἐκείνους οὓς ἂν ὑψώσῃ τύχη.

Nam ad id quod splendidum est, impetum Inuidia facit,
Ac decipit illos quos erexit Fortuna.

Fortunam namque, *Nemesin*, & *Deorum Inuidiam* nonnunquàm pro iisdem sumi, nemini in bonorum auctorum lectione paullulum exercitato ignotum esse potest. Latini non habent aliam vocem qua Νέμεσιν exprimant, quàm τὸ *Inuidia*. Et Græcis idem est φθόνος quod νέμεσις. Hinc Aristenætus Epist. 1. Ἀπίτω φθόνος τοῦ κάλλους, ἀπίτω βασκανία τῆς χάριτος. *Absit Inuidia formæ, facessat Gratiis fascinum.* Et νεμεσάω Græcis idẽ quod *inuideo*. Lucian. ἐπεὶ τῶν μειζόνων ἀγαθῶν ἡμῖν ὁ βάσκανος δαίμων ἐνεμέσησε. *Nemesin* verò etiam pro *Fortunâ* sumi, satis probat veteris lapidis inscriptio reperta in Pannoniis, quam adfert V. CL. Iustus Rycquius noster, in aureolis suis de *Capitolio Romano* commentariis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Cap. XLIII. in hunc modum:

DEAE NEMESI
SIVE FORTVNAE
PISTORIVS
RVGIANVS
V.C. LEGAT
LEG. III. G.
GORD.

Fortunam verò quoties *inuidiæ* veteres paſſim accuſent, adductis exemplis probare, friuolum foret.

Ingenioſè itaque, & doctè Statius ait, non benignum aliquod numen, ſed *Deorum Inuidiam* fuiſſe, quæ Glauciæ pueritiam fouerit, ac tantam formæ præſtantiá, ac morum ſuauitatem illi conceſſerit, vt grauius poſtea ei noceret. Nimirum (vt eſt in Prouerbio) ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. Et ideo in Pileti Epicedio de *Nemeſi* ſignatè dixit Poëta:

Heu miſero lethale fauens.

Huc facit quod Deuonius, vetus Daretis Phrygij interpres, eleganter ait:

---- Fortunæ munera blandæ
Inſidias non dona reor.

Imprimis autem notant Poëtæ nemini vnquàm pulchritudinem ſuam impunè fuiſſe, ac ſemper νεμεσητόν τι καὶ θεήλατον aliquid ſequi. Hinc Tragicus de Hippolyto, iuuene formoſiſſimo:

Rarus forma viris (ſæcula proſpice)
Impunita fuit. Te melior Deus
Tutum prætereat, formaque nobilis
Deformis ſenij limina tranſeat.

T

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Claudian. Epigr. in ſepulchr. Speciosæ:

Hîc Formoſa iacet Veneris ſortita figuram,
Egregiúmque decus INVIDIAM *meruit.*

Lib. 1. Antholog. exſtat elegantiſſimum Epigramma Diodori in *Druſum*, puerum formoſiſſimum, & præcocis ſapientiæ, à quo *Nemeſin, quæ multos* (vt ait) *fallere ſolet*, votis amolitur:

Ἀδρήστειά τε δῖα καὶ ἰχναίη σε φυλάσσοι,
Παρθένος, ἣ πολλοὺς ψευσαμένη, Νέμεσις.
Δείδια σόν τε φυῆς ἐρατὸν τύπον, ἠδὲ σὰ κοῦρε
Δήνεα, θεσπεσίης καὶ μένος ἠνορέης
Καὶ σοφίην, καὶ μῆτιν ἐπίφρονα. τοιάδε τέκνα,
Δροῦσε, πέλειν μακάρων πευθόμεθ' ἀθανάτων.

Quod ita eleganter vertit Q. Sept. Florens Chriſtianus:

Te Nemeſis, hominum ſeruans veſtigia, ſeruet;
Quæ Dea permultos fallere virgo ſolet.
Nam mihi ſunt ſuſpecta & amabilis indolis ora,
Et fortis virtus, & bona conſilia.
Et ſapiens, Druſe, ô iuuenis, ſolertia; tales
Magnorum pueros credimus eſſe Deûm.

Clariſſimus Gaulminus noſter, πάσης σοφίας ἀφροδίτη καὶ λύρᾳ, narrabat mihi aliàs, hoc Diodori Epigramma ſibi in mente fuiſſe, dùm in Elegiâ quadam Amorum ſuorum, elegantiſſimè, more ſuo, hæc exararet,

O Dea, ſeu toruo triſtis Rhamnuſia vultu,
Seu Nemeſis, ſeu quo nomine dicta places:
Tu lethale faues, præreptáque gaudia rides,
Et variæ fallunt lubrica fræna manus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Hinc timet ingenuos nimium mea Lydia mores:
Est metus, ætatis crescere visus honos.
Noxia suspectæ virtus generosa iuuentæ,
Quique latet toto plurimus ore decor.
Tales matre Dea, Superisque accepimus ortos:
Talis erit generis cui Deus auctor erit.

Ipse verò Statius noster lib. IV. Syluar. ad Menecratem, cui gratulatur ob prolem recens illinatam, *Inuidiam* à liberis eius voto suo auertit:

---- dulci tremit ecce tumultu
Tot dominis clamata domus: procul atra recedat
INVIDIA, *atque aliò liuentia pectora flectat.*

Deam *Cuninã* olim cultã fuisse vt *Inuidiam* ac *Fascinum* à cunis arceret, testis D. Aug. lib. 7. de ciu. Dei.

Plurima ex veterum scriptis in hanc sententiam adferri possent, vt, quod amuleta pueris è collo suspenderent aduersus *Inuidiam* ac *Fascinum*: & quod Plutarchus lib. 5. Sympos. cap. 7. scribit creditum olim fuisse, infantes à familiaribus etiam, ac carissimis *fascinari* nonnunquàm solitos: sed nobis modò sufficit interpretationem nostram asseruisse, quam Zelotypus noster frustrà allatrabat: nimirùm quia suprà eius captum erat.

Si quis verò ridere volet, acutã illius in hunc locũ coniecturam legat. Nam postquàm dixit Calderino se assentiri qui τὸ *Inuidia* in auferendi casu exponit, mox hæc addit: *Quia tamen duo Ablatiui du-* "
riuscule hoc pacto iungerentur, existimo sic legi posse: "
--gremio puerum complexa, fouebat "
Inuidiam. "

„ Tùm ingenio ſuo applaudens, *Acutè dictum*, in-
„ quit, *Lacheſis puerum complexa gremio, fouebat non tam*
„ *ipſum quàm Inuidiam ſuam.* Non dubito quin hæc emendatio correctoribus nouitio interpreti ſimilibus placitura ſit.

Quia verò in hâc Syluulâ ſimplicem inſaniam inſanire noluit, aliud modò effrontis illius in corrumpendis auctoribus audaciæ exemplum, cum pari in nos contumeliâ coniunctum videamus, vt de extremâ hominis inſcitiâ & impudentiâ omnibus conſtet.

HOC EODEM PAPINII loco quem modò produximus de *Nemeſi*, ſeu *Inuidia*, Glauciæ altrice hæc addit Poëta:

----illa genas & adultum comere crinem,
Et monſtrare artes, & verba refringere, &c.

Quid hîc eſt *verba refringere?* Nos iã olim in noſtris Papinianis diximus *verba refringere* hîc idem eſſe quod Seneca Pater in Præf. Cõtrou. *vocem ad muliebres blãdicias extenuare* dixerat, vbi mores ſui ſæculi adoleſcentium carpit, his verbis: *Capillum frangere, & ad muliebres blanditias* VOCEM EXTENVARE, *mollicie corporis certare cum feminis, & immundiſsimis ſe excolere mundiciis noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Et rectè ita Poëtæ locum à nobis explicatum, mox abundè probabimus. Proferenda enim hîc ante nobis eſt nouitij interpretis ad hunc locum coniectura, quem corruptum exiſtimat, & *refingere* ἀντὶ τοῦ *refringere* legendum eſſe hariolatur: Eius verba

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ſunt: *Malo* refingere, *quod verbum ſententiæ magis* "
*conuenit. Vult enim Statius Lacheſin monſtraſſe artes & * "
verba reformaſſe pueri Glauciæ, qui malè, vt id genus ætatis ſolet, ea proferebat. Quàm autem neceſſarium & frequens ſit pueris verba ſua refingere, nemo neſcit niſi puer. "
At Geuartius retinet refringere, *& exponit* vocem "
extenuare, *quaſi opus eſſet infanti doctore aut magiſtro* "
ad vocem extenuãdam. Sed fortaſſe is ſententiam atque expoſitionem ſuam refinget. "

Ità ille: lepidè, mediusfidius, & vrbanè. Nos verò, Lector, ne ſtultiſſimæ eius correctioni, quæ mox ſponte corruet, confutandæ immoremur, videamus quæſo, vtrũ interpretatio noſtra *refingenda* ſit, vt ita pudorem è ferreâ fronte exprimamus.

Veteres omnem *vocem* quæ non naturaliter, ſed muliebribus quibuſdam blanditiis velut modulata proferebatur, *fractam* appellabant, quod ſcilicet genuinus & maſculus ſonus in eâ infringeretur. Lucretius, ecce, lib. 2.

---- *nec cuiquam adhibenda eſt*
Almæ nutricis blanda atque INFRACTA LOQVELA.

Gellius Lib. III. Cap. v. de quodam delicato diuite, ab Arceſilao Philoſopho reprehẽſo agens: *Quum*, inquit, VOCEM *eius* INFRACTAM, *capillúmque arte compoſitum, & oculos ludibundos atque illecebræ, voluptatiſque plenos videret.* Claudianus lib. I. in Eutrop. vbi eunuchum illum affectatâ voce loquentem introducit:

-- VERBISQVE *ſonat plorabile quiddam*
Vltra nequitiam FRACTIS, *& prælia narrat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Ita Philo Iudæus lib. de Agriculturâ *Musicam Theatralem*, κεκλασμένην, id est, *infractam* vocat. Καὶ κιθαριστάς, inquit, καὶ κιθαρῳδούς, καὶ πᾶσαν τὴν κεκλασμένην καὶ ἄνανδρον Μουσικὴν περιέποντες. *Citharistas, citharœdósque, & omnem* INFRACTAM *& effœminatam Musicā consectantes.* Sic Demonax Philosophus, Fauorini Dissertationes, vt *fractas* & minimè viriles calumniabatur. Lucianus in Demonacte: Ἐπεὶ γὰρ ὁ Φαβωρῖνος ἀκούσας τινὸς ὡς ἐν γέλωτι ποιοῖτο τὰς ὁμιλίας αὐτοῦ, καὶ μάλιστα τῶν ἐν αὐταῖς μελῶν τὸ ἐπικεκλασμένον σφόδρα ὡς ἀγεννὲς καὶ γυναικεῖον. *Postquam Phauorinus à quodam audisset suas dissertationes à Demonacte haberi ludibrio, maximè verò membrorum in illis nimium* FRACTAS *delicias, & ingenerosam & muliebrē molliciē.*

Eleganter verò Persius Sat. I. *fractam vocem* describit:

Rancidulum quiddam balba de nare locutus
Eliquat, & tenero supplantat verba palato.

Nam *supplantare verba* nihil aliud ibi est quàm *infringere*, vt blæsa & dulciora fiant.

Porrò, pueri illi Vernæ, qualis *Glaucias* erat, variis iocis & argutiis studebant quibus Dominos suos oblectarent. Hinc Papin. noster Lib. v. Syluar. Epiced. in Fil.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias: doctúmve sui conuitia Nili
Infantem, linguaque simul, salibúsve proteruum.

Seneca de Constantia Sapientis, Cap. XII. *Pueros quidam in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, qui probra meditatè effun-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

dant. Nec has contumelias vocamus, sed argutias. Hic Senecæ locus vice commentarij est iis verbis quę Noster infrà hoc eodem Epiced. adfert de *Glaucia*:

Non mixtus Pharijs venalis mercibus infans,
Compositósque sales, meditataque verba locutus
Quæsisti lasciuus herum, tardéque parasti.

Et hinc *Vernilis loquacitas* apud Petronium. Conueniebat autem, vt pueri illi argutias istas & iocos, quo gratiores essent, molli ac *fracta voce* proferrēt, ideóq; rectè Papinius illam *Glauciæ* tribuit: & hoc est quod Seneca *vocem ad muliebres blanditias extenuare* dixit.

Satísne hinc patet quid sit *verba refringere* apud Statium? Satísne iam tibi sententiam meam *refinxisse* videor ---*ô senior bullâ dignißime*, qui nos alibi nimis *iuuenes* ad Statium accessisse cauillaris? Sanè tu hoc loco, & toto passim Commentario tuo (vt cum Plauto dicam)

Nimis quidem hercle, homo, stultus es pueriliter.

Abi, abi itaque, indoctorum præsegmen, fex Grammatistarum, cum stultissimâ coniecturâ tuâ: tolle cauillũ à nostrâ interpretatione, ac resipisce: totasque illas Commentariorum tuorum burras ac ineptias *refinge*, ne breui

Cordillas madidâ tegant papyro,
Aut thuris, piperísve sint cuculli.

Quid ego vlteriùs eam, Lector, & sequentia loca à fanaticis ineptissimi hominis deliriis vindicem, cùm te iamdudùm Aristophanicum istud clamantem audire videar, * δὸς, δὸς τὴν λεκάνην. Quis

* *Da, Da peluim.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

enim tam bono ſtomacho, vt ad iſtas epulas non nauſeet?

Sequitur in eodem hoc *Epicedio* locus elegantiſſimus, vbi Poëta *Fatis* gratias agit, quod *Glaucias* puer ſeruato vultus ſui decore, ac formâ integrâ ad plures migraſſet. Qui quidem locus ab interpretibus hactenus non intellectus, clariſſimè à nobis primũ eſt explicatus. At idem ille maleſciolus & præſtigioſus interpres, fatuis aliquot cõiecturis ſuis elegantiſſimum locum temerare maluit, quàm nobis aſſentiri. Videat locum Lector qui ridere volet.

In proxima verò & ſubſequenti Syluula, qua *Surrentinum Pollij* deſcripſit Poëta, vbi obſcurum quendam Papinij locum aduerſus Calderini ſententiam clariſſimè explico, clamat ſeſe mentem meam non poſſe aſſequi. Nimirũ, vt video, abeundum mihi erit ad Inſcitiæ ludum, vt ea ſcribam quę belli homines intelligant. Sanè, nos iamdudum miſeret, diſtædétque inſcitiæ atque impudẽtiæ illius, nec ita dementis otij ſumus, vt ſingula dicta noſtra hîc recoquere, ac ineptiis illius vltrà reſpondere vacet:

---- ἐχθρὸν δέ μοι ἐστὶν
Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

---- & non mihi amicum eſt
Rurſus ab integro iam dicta retexere verbà.

Et ſanè iſtud nihil aliud foret, quàm futiliſſimis iſtis quiſquiliis honorem habere, quibus non aliter quàm contemptu & ſolo ſilentio reſpondendum eſt.

Eleganter

Eleganter Euripides:

Ἀλλ᾽ οὐ πρέπει γυναῖον, ὡς ἐγὼ φρονῶ,
Οὐδ᾽ ἄνδρα χρηστὸν νεῖκος αἴρεσθαι κακοῖς.
Τιμὴ γὰρ αὕτη τοῖσιν ἀσθενεστέροις.

Et rectè Plautus:

Bacchæ bacchanti si velis aduersarier,
Ex insanâ insaniorem facies, feriet sæpius.

Adeat itaque Lector Papinianas nostras, & conferat: videbit hominem passim aut χρυσαντλᾶν, aut per μισαλήθειαν & contradicendi pruriginem transuersum agi: eóque magis in nos incurrere, quò præstantiores sunt nostræ in hunc auctorem interpretationes & coniecturæ: quia scilicet suprà illius captum sunt. Nos candidis & elegantibus ingeniis, benè natis & institutis nostra scripsimus, nec eorum iudiciis diffidimus: At ἀκανθολόγον istum interpretem, qui passim in plana via strigans soli sibi (vt est in prouerbio) *crucem fixit*, non curamus: abeat eò vnde nomen habet. Itaque nos illius commentaria, vt sunt, lutulenta fluere sinimus, & cum Martiale:

Nos hac à scabie tenemus vngues.

Et hæc ego, candide Lector, prodendæ obiter ac indicandæ hominis vanissimi inscitiæ, impudentiæ, ac proteruiæ sufficere existimo. Quæ omnia nos ideò in postrema hæc Capita reiecimus, ne reliqui Electorum nostrorum libelli, eius ineptiarum scoriis inquinarentur.

V

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Breuiter sanè monstrandum erat, posse nos

Ἀνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Virum vlcisci, quando prior ille iniuriam intulerat.

Non is ego sum qui me ἀναμάρτητον putem : nec tàm perditè mei amans, vt, si alibi lapsus fuerim, reprehendi me æquo animo non patiar, modò id cum ratione, & modestè fiat. At homo ille, Andabatarum instar, iisque similis qui noctu per tenebras ambulantes apprehendunt quicquid occurrit, sine iudicio, sine discrimine, elegantissima loca, & à nobis primùm clarissimè interpretata, imprudentissimè simul & impudentissimè allatrat. Itaque putaui me beneficium ipsi facturum, si obiter illum sibi velut in speculo ostenderem, & arrogantiam illam pædagogicam quâ tumet, illi de pulmone reuellerem.

Si verò cuipiam acrius quædam & ardentius in illum dicta videantur, ille vetus istud dictum secum cogitet:

Quam quis non præstat, ne exigat Modestiam.

Et Sophoclæum illud: ---- ἐγὼ ἀνδρὶ συγγνώμην ἔχω

Κλύοντι φλαῦρα, συμβαλεῖν ἔπη κακά.

---- huic ego ignosco viro,

Qui probra cùm audit, probra probris regerit.

Sanè nisi ita frontem perfricuisset, vt non tantùm nobis, sed etiam viris extrà omnem iudicij aleam positis, impudentibus dicteriis suis illusisset, nunquàm profectò nostram illam, ad quam Natura ac disciplina facti sumus, Modestiam expugnasset.

„ Alibi *Iul. Cæsar Bulengerus* illi *lolio victitat*: alibi *Ber-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

nartius illi *muscas captat*: alibi Casauboni *oscitationem se* "
reperisse gloriatur: alibi Diuinus mortalis, *Iul. Cæ-* "
sar Scaliger illi *ea comminiscitur, quæ triuialium Gram-* "
maticorum superent affanias.

Huiusmodi sale cùm Panepistemon ille Heroës istos perfricet, non inuitus sane Geuartius

Se quoque Principibus permixtum agnouit Achiuis.

Operæpretium autem omninò est, Lector, antequam te absoluam, grauissimi illius in Repub. Litteraria Laticlauij iudicium, quod ille in Præfatione Commentarij sui, de *Papinianis* nostris dedit, hîc audire. Itaque tu

Exurge Præco, fac populo audientiam.

Et nos componamus togas:

Interpretum agmen, inquit, *duxit Domitius qui Statianas Syl-* "
uas iusto commentario illustrauit. Sequuti Bernartius, Morellus, Ti- "
liobraga, in iisdem, partim explicandis, partim ex probatiorum co- "
dicum fide emendandis nō pœnitendam operam collocarunt. Nec si- "
ne piaculo prætéream Politianum, Beroaldum, Parrhasium, Sabelli- "
cum, Ptolomæum Flauium, Turnebum, Scaligeros, Lipsium, Casau- "
bonum, Behotium, & totam ferè eruditorum cohortem, qui in eas- "
dem Syluas sæpè diuerterunt, & decerptas ex ipsis ἐπιφυλλίδας be- "
nignè communicarunt. His accessit I. CASPERIVS GEVAR- "
TIVS, *iuuenis multæ lectionis, & qui superiores Statij Scho-* "
liastas in discrimen vocare poterat dignitatis, si Lectiones illas "
suas iuxta Horatij monitum diutius aliquantò pressisset. Nimi- "
rum peccamus plerique hac in parte, & crudos ingenij fœtus e- "
mittimus, quibus fortasse prouectior ætas maturitatem attulisset. "
At maior certè debetur Posteritati reuerentia, nec in illo calore ten- "
tanda sunt, aut prouocanda iudicia huius æui. Multa tamen "
sunt in illius commentario proba, nec publici saporis, quæ vbi res "
suadebit non occultabo. &c. "

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Quod felix faustúmque Reipub. Litterariæ: Hoc illius iudicium, quod ille (ni fallor) τοὺς ὀφρῦς ἀνασπῶν τοὺς κροτάφους attollens pronunciauit. Sane, Lector, vt vides, non omninò pessimè de nobis sperat. *Multam*, ecce, *lectionem* in nobis commendat, & nihil requirere videtur præter annos. At ego contrà, cùm annos in illo non requiram, vberiorem bonorum auctorum *lectionem*, & iudicium in eo desidero. *Papiniana* nostra ceu *cruda*, & necdùm satis matura cauillatur; at nos hoc præsenti capite, iam suprà, breuiter ostendimus cuiusnam illa gustus sint. Nobis semper istud Plautinum arrisit:

Ingenio non ætate adipiscitur sapientia.

Et illud Menandri:

Οὐχ' αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν.
Cani capilli non gignunt Prudentiam.

In illius verò commentario, quàm matura omnia quàm benè cocta, quàm pulchris emblematibus vermiculata, quàm denique ad amussim omnia & ad perpendiculum exacta sint, etiam suprà abundè vidimus. Sanè illud Tragici rectè illi occini potest:

----σ' ὁ πληθύνων χρόνος
Γέροντ' ὁμοῦ τίθησι, καὶ τὸ νοῦ κενόν.
----te temporis longæuitas
Senem simul, vacuúmque mentis efficit.

Et illud Timonis Phliasij de Euhemero:

Γέρων ἀλαζών, ἄδικα βιβλία ψύχων.
Senex arrogans, iniquos libros effutiens.

Et mera (vt aiebat Cato) *mortua Glossaria.*

SED ait signatè Censor noster: *In illo calore non* «
esse tentanda aut prouocanda IVDICIA *huius æui.*] Do- «
luit homini, procul dubiò, quod in Papinium scri-
pturus fasces Cõsuli illi magno non submiserim,
& ipsius imprimis, summi scilicet Aristarchi iudi-
cium non reformidarim. Cæterùm, mi Lector, vt
futilissimas hasce zeloticæ æruginis ineptias, quas
non facimus nauci, omittamus; gratulor mihi plu-
rimùm, maximorum huius æui nostri virorum
perhonorifica super vigiliis illis nostris contigis-
se iudicia, tàm in scriptis eorum publicè prolata,
quàm variis eorum litteris, dùm ante hos quatuor
annos Papinium admodum adolescentes edidisse-
mus, ad nos perscripta, è quibus hic nonnulla
subiiciemus, quæ velut ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν zelo-
typis nostris opponantur.

ERYCIVS PVTEANVS

Serenissimorum Belgij Archiducum Consiliarius, eorundémque in celeberrima Louaniensi Academia Historiarum Professor,

I. CASPERIO GEVARTIO S. D.

Hagam-Comitum.

PAPÆ! *sic* PAPINIVM *à te illustrari, mi* GEVARTI? *Faces eruditionis isti Commentarij sunt,* φῶς ἀγαθόν. *Vt omnia dicam; tibi vindicasti hunc vatem. Viuet ille tuo beneficio; quippe sine morbo, vulnere, cicatrice: tu illius; qui deleri nomen tuum non patietur. Quamdiu litteræ erunt hæc opera celebrabitur: sed in dubium illa ætas veniet. A tam iuuene tam docta & exasciata proficisci potuisse nemo credet. Sed quid anni faciunt? Iudicio & eruditione Senior es, ingenio & industria iuuenis: incipis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

vbi alij desinunt. Elogio libens votum addo, vt longùm tam beato viridíque perfruaris senio,

Pulchrior & meritæ faueat Deus ipse iuuentæ.

Nos te, quia STATIVS *esse per te* SVRCVLVS *desiit, tanquàm* STATII *surculum habebimus. Itaque cresce qui iam grandæuus es; progredere qui Syluarum hoc iter egregiè emensus. Sic licebit plenum laborum tuorum fructum ferre: licebit Poëtæ tui verbis:*

----ire polo, nitidósque errare per axes.

Vale, & magis magísque dignum te Heroë tuo ostende, cui Musagetæ titulum meo ego nunc suffragio decerno. Quid ibi agatur scribe quæso, & me bea. Cultum meum Amplißimo illustrißimóque Legato defero.

LOVANII *in Arce*, XIV. *Kal. Decembr.* CIƆIƆCXVI.

IOH. ISACIVS PONTANVS

Serenissimi Daniæ Regis Historiographus, &c.

I. CASPERIO GEVARTIO S. D.

Lugdunum Batauor.

STATIVM PAPINIVM *à te adnotatum & emendatum, quémque apud me beneuolentiæ tuæ pignus & veluti arrham initæ inter nos nuper amicitiæ esse voluisti,* GEVARTI *eruditißime, domum reuersus auidè percurri. Quid dicam? Gratulari me mihi, & communi illi amico nostro multùm debere, qui te talem nobis conciliauit; respirasse etiam, & de litteris iam meliùs sperare cœpisse, lectis illis tuis accuratis oppidò, & exasciatis, elegantis, inquam, & sani iudicij obseruationibus. Itaque hoc porrò agas, succurrásque melioribus studiis, ruinosis, vt hoc est æuum, ac nutantibus, breuique casuris, nisi per vos & einsmodi ingenia suffulciantur. Promittere te & alia hoc genus ex eodem tuo Commentario colligo, quæ & nobis saliuam nunc excitarunt: tu efficies ne diu desiderio torqueamur. Illud monendum obiter, non abs re facturum te in nouâ* PAPINII *editione, si ipsum cum Virgilio committas, & quicquid ab eo ille acceperit, suúmque in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

vsum artificiosa imitatione conuerterit, parallélως commonstres. Postremò, ad contextum quod attinet, vnam aut alteram palmariis emendationibus tuis addam ex Analectorum nostrorum lib. 2. Cap. 13.

Quod superest, iterùm, iterúmque te hortor, mi GEVARTI, *vt cœptum iter gnauiter pergas, nósque ac sæculum tuis eruditißimis laboribus identidem bees ac iuues. Antidori vicem mitto hanc alteram partem nostrarũ* Disceptationum Chorographicarum. *Vale. & me mutuò ama. Harderuici, ipsis Kal. Maij.* CIↃ. IↃCXVII.

IANVS GRVTERVS

Serenißimi Principis Palatini Consiliarius, & in celeberrima Heidelberg. Academ. Historiarum Professor.

In Epistola ad Pet. Scriuerium, Batauum, V. CL.

LITTERÆ *hîc, mortuo Melisso ac Frehero penè languere ac flaccessere incipiunt. Noui si qui exsurgant, ij aliis obtrectare solent. Vnicus apud vos exortus est* GEVARTIVS, *cuius Statius mihi placet: ac pro illius incolumitate apud æternum numen intercedam, faustísque acclamationibus iuuabo.*

PET. SCRIVERIVS V. CL.

In Animaduersionibus ad Martial. lib. IV. Epigr. XL.

De hac emendatione meminimus I. CASPERIVM GEVARTIVM *nostrum nuper opportunè monuisse, cùm is politissimas suas Lectiones* PAPINIANAS *luci & Posteritati adornaret.*

Plura eruditorũ de iuuenilibus illis conatibus nostris iudicia hîc non profero, ne videamur nos ipsimet in Olympico stadio nos victores proclamare. Nec sanè hæc protulissem, nisi grauis ille censor noster, *Iudicia eruditorum nobis in eâ ætate non* " *tentanda aut prouocanda* censuisset. Itaq; grauissimo- "

rum virorũ auctoritas profanis opponenda erat.

Quid porrò tu modò censes, erudite Lector? cùm talia Clarissimorum hominum, qui in his litteris familiam ducunt, de PAPINIANIS nostris iudicia exstiterint,

Men' moueat cimex Pantilius? aut crucier quòd
Vellicet absentem Demetrius?

vt eleganter ait Flaccus. Non sanè si sapimus. Et, vt eiusdem Flacci verba per παρῳδίαν leuiter immutemus:

HEINSIVS & GROTIVS, GAVLMINVS, BORBONIVSQVE,
MEVRSIVS, *& probet hæc* RVTGERSIVS *optimus atque*
SCHOTTVS. *&c.*

Quos ego summos viros, amicos meos honoris causâ nomino. Tenebriones verò istos, ac laruas litterarum, fanaticos, inquam, magistellos, qui quantùm boni à nobis Papinio præstitum sit, neque per inscitiam bonarum litterarum sentire, neque per inciuilitatem fateri possunt, præfractè semper contempsimus. Itaquè (vt cum eodem Flacco concludam) te

---- Demetri, tèque Tigelli
Discipulorum inter iubeo plorare cathedras.

FINIS.

INDEX

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

161



INDEX CAPITVM QVÆ IN III. HISCE ELECTORVM LIBRIS CONTINENTVR.

LIBRI I.

CAP. I. *Valerij Maximi de Dario locus, in quo frustra à Lipsio alijsque sudatum, nouè correctus & explicatus. Septem Persarum Optimates.* Adiutores eiusdem dignitatis *quid Valerio?* pag. 1.

CAP. II. Auspicia ex acuminibus *quænam sint apud M. Tullium & Arnobium. Vetus tabula marmorea illustrata.* σαυρωτήρ. 7

CAP. III. *Prosperi Chronicon illustratum. Cuspiniani error.* Nobilissimi *appellatio.* 14.

CAP. IV. *Occultior Rutilij Numatiani Galli locus in Itinerario explicatus. Viri docti error ibi notatus.* Itali imbres *in Africâ. Statius,* Lucanus, *&* Aristoteles *in Problematibus illustrati.* 15.

CAP. V. *Manilij de Natatu versus à Ios. Scaligero eiectus, & de spurio suspectus, auctori suo assertus & explicatus. Alius eiusdem locus nouè correctus.* 18.

CAP. VI. *Petronij elegans locus correctus. Pompeius cum Hercule olim collatus.* 23.

X

CAP. VII. *Vetustum è Marone mendum sublatum: Seruij ac Turnebi interpretatio reiecta.* Mitra, redimiculum, anademata. 26.
CAP. *VIII. Duûm Ciceronis locorum emendatio ex coniecturâ* V. CL. *Claudij Puteani.* 29.
CAP. *IX. Solinus emendatus.* Censere *nouâ notione.* 33.
CAP. *X. Prouerbium Senecæ restitutum.* 35.
CAP. *XI. Papinius explicatus. Lactantij ac Bernartij interpretum error indicatus.* Globus *quid Papinio?* 36.
CAP. *XII. Claudianus emendatus.* A*uspicia olim ex acclamationibus sumpta. In eiusdem Poëtæ locum coniectura.* 39.
CAP. *XIII. Fragmentum Ciceronis è libris de Repub. sæpius ab* A*usonio expressum.* 41.
CAP. *XIV. Manilius de topiarijs veterum explicatus aduersus sententiam viri magni.* 43.
CAP. XV. Vacuum tempus. *Vulgata Lucretij lectio defensa contrà Lambinum, & explicata contrà Gifanium.* 45.

LIB. III. ELECT.

CAP. I. *Manilij locus à Ios. Scaligero depositus, correctus, & explicatus.* 47.
CAP. II. Assa vox *quid? eius etymon contrà Turnebi sententiam allatum.* 51.
CAP. III. *Senecæ locus à Mureti & Lipsij correctio-*

ne defensus. Extra metum, *quid Senecæ?*

CAP. IV. *De verbo* Difficere, *accurata* CL. *Puteani obseruatio. Lactantius, Virgilius, Cicero, Val. Maximus, Plautus, alijque auctores in eodem verbo emendati.* 54.

CAP. V. *Manilij obscurior locus ex Claudiano emendatus & illustratus.* Pestis *quid Manilio?* 62.

CAP. VI. *Auctor Carminis in Hortorum custodem emendatus.* Tatius. *Supercilia cur Iunoni olim dicata?* Ηρῷον βαδίζει. 64

CAP. VII. *Claudianus in Manlij Panegyrico emendatus. Iudices* medij *dicti.* 67.

CAP. VIII. *Linea pennarum olim in Venatione adhibita.* Alæ. *Noua in Marone interpretatio.* 69.

CAP. IX. *Pacati locus in Panegyrico emendatus.* 71.

CAP. X. *Gautunni, qui apud Vopiscum?* *Ibid.*

CAP. XI. *Anacreon illustratus. Mos olim generosorum militum obseruatus.* 73.

CAP. XII. *Nudipedalia sacra. Crinium solutio.* Leuare membra. *Lactantius Placidus bis refutatus.* 75.

CAP. XIII. *Seges vinetis intersita.* Emessi fructus. *Manilij locus nouè correctus.* Mystrum. 79.

LIB. III. ELECT.

CAP. I. ÆLIA LÆLIA CRISPIS. *Epitaphium vetus Ænigmaticum præter omnium hactenus sententiam explicatum.* 81.

CAP. *II.* *Vetus Atheniensium iusiurandum. Lactan-*

tij Placidi duo loca correcta. Ποιμανδρία. *Ortelij error.* 100.

CAP. III. *Tacitus duobus locis restitutus ex coniecturâ Fr. Malherbij,* V. CL. 102.

CAP. IV. *Versus transpositio in Manilio indicata.* 104.

CAP. V. *Thebe Deorum genitrix. Statius nouè explicatus.* Socius sanguis. 106

CAP. VI. *Ouidius à correctione aliorum assertus.* Malè-visus. Pulchrè-conspectus, *&c.* 107

CAP. VII. *Laërtius explicatus. Diogenis dicto acumen additum contra Erasmum.* 108.

CAP. VIII. *Veteres aliquot inscriptiones illustratæ.* VIVAS *&* VIVATIS, *quid in iis designent?* 110.

CAP. IX. REIECTIVNCVLA *nuperi interpretis Statiani. Loci aliquot à temeritate ac ineptiis illius vindicati.* θεῶν νέμεσις *vt vitari credita?* Iuuenis Parthenope. Nec-tristis. Nec-opinus. Sitim excludere, *&c.* 113.

CAP. X. *Continuatur superius Caput. Eiusdem nuperi interpretis Statiani* ἀλογισία *aliquot locis ostensa, & iniquæ reprehensiones confutatæ.* Plorans anima *quid Papinio in Epiced. Glauciæ? Blanda vocis &* Orationis *vires.* Nemesis *&* Fascinus *infantibus nocere crediti.* Verba refringere. κεκλασμένη Μουσική. *&c.* 132.

FINIS.

165

GILBERTVS GAVLMINVS
Consiliarius Regius, ac Quæstor Molinensis

I. CASPERIO GEVARTIO
S. P. D.

LIBROS tuos ELECTORVM, Clarissime Geuarti, vidi & legi. Omnia placuerunt, nisi quòd in calce operis, dum triuialis magistelli ineptias, dubium eruditè magis, an eleganter refellis, indignum nomen æternitati commendasti. Stultissimus mortalium audaci facinore doctrinæ famam quæsiuerat, tu parum herclè festiuus es, qui hominem voti irritum dimisisti. Cur eruditionẽ cui omnes student, solus, aut cum paucis assecutus es, si eruditionis tuæ inuidiã non exspectabas? Prorsus indignum Geuartio faciet, qui angularij ludimagistri obscuram diligentiã negligere non poterit. Nihil tamen inclementius aduersus illum dictum. Læsit enim prior, aut læsisse voluit. Si nescis, mi Geuarti, est ineptissimum ac superbissimum hominum genus in Galliâ, quod Ambitioni omnia, Doctrinæ nihil tribuit. Eam tamen ad famam viam esse vnicam putat, si eruditorũ nomini detrahat, imò & ipsos Manes sæpius sollicitet. Degeneres animi, quibus nisi post mortem tuta satis odia non videntur: & qui virtutem, quam in se non esse sciunt, in aliis aut nunc esse, aut aliquando fuisse indignantur. Nos similes Salmoneos altùm contemnimus. Tu quoque, mi Geuarti, dignum te finge Deo, & quia Geuartius es, si inuidere non potes, inuidiam porrò mereri perge. Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

PETRVS CVNÆVS
Iurisconsultus

I. CASPERIO GEVARTIO
S. D.

ADEÒ fuit miserum in modum turbata Respub. nostra, Clarissime Geuarti, vt me litterarum, studiorúmque, atque etiam mei ipsius penè obliuio ceperit. Quare veniam mihi dabis, si ad litteras tuas quas ante aliquot menses accepi, nihil responderim, quē alioqui scire debes ad hæc humanitatis officia fuisse semper, atque etiam fore deinceps paratissimum. Amorem herclè tui nulla dies nobis auferet: ita me tibi totum conciliauit summa Virtus tua atque admirabilis eruditio, quam in te elucere summus Deus voluit. Equidem non vereor ne assentatiunculâ quâdam aucupari gratiam tuam videar cum hoc quod res est, dico. Nam neque tu is es, qui quid sis ignoras: & nobis constat eos potius qui te non prædicent, inuidos, quàm eos qui laudant, ineptos dici debere. Libros tuos ELECTORVM, de quibus scríbis, etiam atque etiam exspecto, vt ex lectissimis obseruationib. tuis aliquid in vsum meum seponam, recondámque. Habebis me certè inter eos qui à te discere multa, atque ea mox tibi ingenuè accepta ferre non erubescant. Nos ad duos ff. Titulos, *de Pactis, déque Rebus creditis* aliquid commentamur, quod publici iuris faciemus, tibíque, quem his etiam studiis apprimè teneri scimus, mittemus. Vale Clarissime Geuarti, & Cunæum tuum, vt facis, ama. Lugd. Bat. XXV. Febr. CIↃ IↃCXIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

167

EX EPISTOLA
PHILIP. IACOBI MAVSSACI
SENATORIS TOLOSANI.

VIDI quæ ex ELECTIS tuis misit ad me Hansenius noster, & epistolam quâ me beasti. Ain' tu candido lapillo diem illam quâ mihi innotuisti, notaturum? Ego verò illam quâ perlatæ sunt ad me litteræ tuæ, inter nobilissima temporis interualla, & epochas repositurus sum. Loquor ex animo, mi Geuarti, & te tuáque ita veneror, vt nihil tui gratiâ non facturus sim, &c.

EX
GVLIELMI CAMDENI
Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis
Historiographi Epistolâ

Ad Ampliss. virum NIC. FABRICIVM PEIRESIVM, *Regium in Aquensi Curia Senatorem, &c.*

CASPERII GEVARTII cultissimum in Equestrem Errici Magni Statuam Carmen vt Principis poëtarum nuper admirabar; nunc verò ELECTA vt Dictatoris perpetui in Repub. litterariâ futuri suspicere incipio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

IN LIBROS ELECTORVM I. CASPERII GEVARTII.

DElicium Latiæ pariter Graiæque Camœnæ
GEVARTI, quo te carmine in astra veham?
Instar apis varios gaudes decerpere flores,
Iudicij librans pondere cuncta tui.
Omnia concinnas, instauras, eligis, ornas,
Et seræ condis Posteritatis opus.
Cuncta adaperta tibi veterum monumenta Sophorum,
Hinc laus, hinc decus, hinc fama parata tibi.
Tu Diuina colis generosi carmina STATI,
Aonias reuocans in sua prata Deas.
Ignauúmque pecus fucos de floribus arces
SYLVARVM, *dulces & struis arte fauos.*

PET. VALENS, Frisius, Groninganus,
Regius Græc. Litt. Professor.

In interpretationem ænigmatis ÆL. LÆLIÆ CRISPIS.

CErtatum multis vario certamine doctis
Certamen, Griphum soluere difficilem:
At nemo intortos potuit dissoluere nodos
Hactenus; implicitos implicuére magis.
Vnus ab ingenio pariter qui clarus & arte
CASPERIVS *sensum vidit & explicuit.*
Muria quin igitur Dauis ter-salsa bibatur:
CASPERIO *ornetur frondis honore caput.*

IDEM. ALIVD.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ALIVD AD LECTOREM.

EN ELECTA *tibi: lætâ tu ſuſcipe fronte*
Quod datur, & doctum perlege Lector opus.
Quóque magis facias, non eſt ignobilis auctor;
GEVARTI *clarum pagina nomen habet:*
GEVARTI *iuuenis, quo non præſtantior alter*
Soluere inexplicitis abdita ſenſa libris:
Seu iuuat arcanos Sophiæ penetrare receſſus,
Seu iuuat Aonidum mitia prata ſequi.
STATIVS *eſt teſtis, lepidæque ænigmata* CRISPIS,
Quæque alia ingenij dat monumenta ſui.
Nec te, quod Iuuenem dixi, mea verba morentur;
Inuenies etiam quæ doceare ſenex.

Gul. Grotius ICtus Hug. Fr.

IN MAGISTELLVM QVENDAM nuperum Papinij interpretem.

QVIS *tibi* PAPINIO *tenebras offundere ſuaſit,*
Quæ compulit væſania?
Nónne diu multò iacuit malè-languidus æuo?
Huc, huc, Magiſter, vapula.
Non mirum eſt, lumen ſi non fers Noctua: ſed ſi
Fortè inuides GEVARTIO,
Cur alios tecum quoque cæcutire putaſti?
Huc huc, Magiſter, vapula.
Huc ades, & Phœbum, clarâ qui luce Poëtam
Rurſùs beauit, hunc vide
Iam veſtra intuitu pellentem nubila ſolo.
Huc, huc, Magiſter, vapula.

IDEM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

ALIVD.

STELLA nouem digito fouit radiante puellas,
Et varium gemmæ clausit Ianthis opus:
At tibi, quod plus est, sub acuta cuspide pennæ
Mille simul Charites, multáque nata Venus.
Non eget hæc minio vel cedri rore Papyrus;
Viuet, & Auctoris nomen in astra vehet.
Iamque ego Sigalion fiam: tua dicta, GEVARTI,
Ecce meam tabulâ iam rapuere manum.

ST. CLAVERIVS in supr.
Curia Aduocat.

DIuersos diuersa decent: tibi conuenit vnum
GEVARTI, priscis reddere sensa libris,
Et malè collapsos tenebrosi Temporis irâ
Scriptores iterùm luce beare suâ.
STATIVS imprimis multum tibi debet, & omnes
Queîs datur ELECTIS his in habere locum.
Sicque alijs vitam dando, tibi das quoque vitam:
Et tua subtexis nomina nominibus.

Mart. Sanctenus ICtus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

171

OPERARVM ERRATA ET OMISSA.

PAg.2.lin.19. *Adiutores*. Pag.3.lin.19. ἐόντες. Pag.8. verſ. 6. *ex acumine ſpiculorum, pilorum, enſium, ſi ſplenderent*, &c.] R. P. Dionyſius Petauius, ſingulare ordinis ſui & ſæculi decus, indicauit mihi locum è ſacrâ paginâ, Ezechiel. Cap.21. com. 21. qui videtur hanc ſententiam adſtruere: *Stetit Babel ad biuium in capite duarum viarum, vt diuinaret diuinationem: terſit ſagittas, interrogauit idola, inſpexit iecur*, &c. Quòd ibi legitur: *deterſit ſagittas*, Vatablus de Diuinationis genere, quod fit *ex acuminibus* intelligit. Textus Hebraïcus habet קִלְקַל בַחִצִּים, &c. *Excolunt*, inquit, *ferrum telorum, vt ſplendeant, in eóque ſplendore tanquam in ſpeculo cernant Diuinatores, vt aſpicere ſolent in vngue pollicis manus ſplendente.* Hæc Vatablus ex Dauide Kimhio. Licèt aliter interpretetur Hieronymus ad hunc locum, & ad Oſee C.IV. com.12. vbi Oſee verba cum ſuperiore illo Ezechielis loco comparat. Ita enim Oſee. *Populus meus in ligno ſuo interrogauit, & baculus eius nunciauit illi.*

Pag. 23. lin.8. *Democriti.*

Pag. 29. lin. 14. Locus clarus eſt. *Adde*. Maxima olim inter litteras *j* & *e* fuit affinitas, & inter ſe commutatio, vt patet ex exemplis *penna, pinna*: *deditus, diditus*, &c. Vnde dici poteſt τὸ *ſubnixus* apud Maronem poſitum pro *ſubnexus*: nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

à verbo *subnitor* illud hîc deductum. Vnde interpretatio nostra magis firmatur, & prisca scriptura retineri potest.

Pag. 42. lin. 18. *Adde*: Idem ad Herculanum: *Herculane qui profectus de gremio nostro & scholâ, SPEM magis quàm REM fruendam præbuisti auunculo.*

Pag. 53. lin. 24. *Extra metam*, id est, *extra mundi hoc spatium.* Adde: Gilb. Gaulminus, v. cl. acutè apud Senecam legere malebat, *extra motum.* Vt Epicureorum Deum ἀκίνητον Seneca innuat, qui sine vllo motu, otiosus continuò, & *rerum humanarum incuriosus*, vt loquitur Saluianus.

Pag. 65. lin. 23. enumerat. Adde: Potest & illud *Latio* commodè apponi *Graciæ*, quasi dicat Poëta, *Latiæ grauitati* non conuenire obscœnos Græcorum lusus. Noti Philænidis & Elephantidos libelli.

Pag. 66. lin. 13. *Voluptate ac timore plenus.* Adde: *Nam vti voti compos fieri me oblectabat, ita si potiri non liceret, terrebat.*

Pag. 76. lin. 15. *circa.* Pag. 79. lin. 30. *Hauriet è mystris.* Pag. 84. lin. 7. *Quotquot.* Pag. 103. lin. 19. *Habilem adhuc iuuentam sibi.* Pag. 112. lin. 6. *duabus Epigraphis.* Pag. 117. lin. 26. *mente profusa.* Pag. 129. lin. 1. *& ad metam.* Pag. 147. lin. 27. *Duriusculè.*

Reliqua operarum σφάλματα æquus & candidus Lector per se facilè emendabit.

1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

173

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127

00564356

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.127